

ROBERTUS ALYNGTON

LITTERALIS SENTENTIA SUPER PRAEDICAMENTA ARISTOTELIS

Alyngton: Litteralis sententia super Praedicamenta Aristotelis.....	3
<Prologus>.....	4
<De aequivocis>.....	6
<De univocis>.....	9
<De denominativis>.....	11
<De subiecto et praedicato>.....	13
<De regulis praedicationis>.....	17
<De dictionibus complexis et incomplexis>.....	19
<De numero et sufficientia praedicamentorum>.....	22
<De substantia>.....	33
<De proprietatibus substantiae>.....	60
<De quantitate>.....	69
<De proprietatibus quantitatis>.....	84
<De relativis>.....	89
<De proprietatibus relativorum>.....	96
<De qualitate>.....	105
<De proprietatibus qualitatis>.....	126
<De actione et passione>.....	132
<De reliquis praedicamentis>.....	133

Alyngton: Litteralis sententia super Praedicamenta Aristotelis

E' qui presentata la trascrizione del commento di Alyngton ai primi 9 capitoli delle *Categorie* di Aristotele, eseguita dal ms. London, Lambeth Palace 393. La divisione del commento in capitoli segue le indicazioni fornite dallo stesso Alyngton, mentre i titoli attribuiti a ciascuna sezione sono quelli ritenuti più pertinenti all'argomento trattato.

Alessandro D. Conti

Robertus Alyngton

Litteralis sententia super Praedicamenta Aristotelis

ms. London, Lambeth Palace 393, ff. 69r-143r

<a cura di Alessandro D. Conti>

<Prologus>

Quoniam logica ad omnium scientiarum principia viam habet in tantum ut nec in aliis sine illa fas est gradum perfectionis attingere, dicente Commentatore II *Metaphysicae*, 3° commento, quod nullus in qualibet arte poterit esse instructus nisi sciendo logicam et universalia Aristotelis. Fortassis Aristoteles non sine causa ad ostendendum has primitias perfectionis in logica sub senario, qui primus perfectionis est numerus, totam collegit logicam, quia sub compendio sex librorum. Quorum primus, quasi de simplicissimis tractans, velut incipiendo ab unitate, correspondens actui simplici intellectus, est liber *Praedicamentorum*. Secundus in ordine, quasi binario correspondens, est liber *Perihermeneias*, tractans de oratione, quae est enuntiatio alicuius de aliquo, actui composito animae correspondens. Tertius, alludens ternario, tractat de syllogismo simpliciter, ex tribus terminis integrato; et est liber *Priorum*. Et huic est actus animae discursivus in se consideratus simpliciter correspondens. Quartus, correspondens quaternario, qui est numerus diminutus (*lectio dubia*) constans ex duobus binariis, qui est numerus infamis, est liber *Elenchorum*, litigiosas pertractans disputationes in duobus libris declarans principaliter quomodo paralenchi deficiunt a veritate elenchi quantum ad has quattuor condiciones: ad idem, secundum idem, simpliciter et in eodem tempore. Cui correspondet actus animae discursivus apparenter faciens scire. Quintus est *Topicorum*, cui correspondet actus animae discursivus probabiliter faciens scire. Docet construere sine destruere quinque genera problematum, scilicet de genere, differentia, definitione, proprio et accidente. Sed ultimus et perfectus, correspondens senario, tractat de demonstratione propter quid potissima, quae ad modum senarii ex tribus duobus et uno adaequate perficitur. Ex tribus, scilicet medio, supposito et quaesito, ex duobus, videlicet duabus praecognitionibus <f.69v> et principiis indemonstrabilibus tamquam uno, in quibus virtualiter consistit omnis demonstratio, iuxta sententiam Aristotelis I *Posteriorum*, capitulo primo.

Incipiendo ergo a libro *Praedicamentorum*, ubi est virtualiter omnis logica sicut unita, iuxta modum loquendi arithmetico: “est omnis numerus in unitate”, videndum primo est quid est praedicamentum, quot sunt praedicamenta et quomodo ab invicem distinguuntur.

Primo sciendum est quod praedicamentum aliquando sumitur pro coordinatione praedicabilium; aliquando pro genere supremo illius ordinationis etc.

Sed ad sciendum quot et quae sunt praedicamenta oportet praecognoscere modos et genera praedicandi; ideo Aristoteles in prima parte huius libri sui, quae *Antepaedimenta* vocatur eo quod in illo tractantur quasi prooemialiter quaedam praeambula ad praedicamentorum cognitionem, declarat tres modos diversimode praedicandi in describendo aequivoca, univoca et denominativa. Considerando enim entia praedicabilia sub ratione qua sunt entia, sic aequivoce dicuntur entia, testante Porphyrio sic dicente: “si quis - inquit - omnia entia vocet aequivoce nuncupabit”. Et hoc est verum, large loquendo de praedicatione aequivoca. Considerando tamen entia praedicabilia ut sunt in genere, aut tunc sunt in eodem genere, et tunc praedicantur univoce de se invicem, aut sunt in diversis generibus, et tunc praedicatio est unius de alio denominativa. Sed quia plura complectitur aequivocum quam univocum, incipiendo ergo quasi a communioribus, describit Aristoteles aequivoca etc.

<De aequivocis>

Aequivoca -inquit- *dicuntur quorum nomen commune est et secundum illud nomen quo dicuntur aequivoce diversa erit ratio praedicationis*, ut dicimus aequivoce quod animal verum quod est homo est animal et animal quod est pictum est animal.

Ubi primo notandum, secundum sententiam aliquorum, quod quadruplex est aequivocum. Est enim aequivocum a casu, aequivocum a consilio, aequivocum analogum et aequivocum generale.

Est autem a casu quod imponitur casualiter ad <f. 70r> significandum diversa secundum rationes dispares quarum nulla habet habitudinem ad aliam. Et illud est pure aequivocum. Ut iste terminus “Robertus” a casu imponitur ad significandum hominem Romae et ad significandum hominem Oxoniae. Et dispar est ratio utriusque sine aliqua habitudine unius ad alterum, cum ego sum Robertus, quia sum hoc cui imponitur iste terminus ad significandum proprie, et iste qui est Romae est Robertus, quia ipse est hoc, demonstrando se ipsum, cui imponitur iste terminus ibi ad significandum proprie. Et patet, cum in aequivocis non est contradictio, quod sicut est concedendum quod tantum ego sum hoc, demonstrando me et tamen Sortes alius a me est hoc, demonstrando se ipsum, ita non foret inconveniens concedere ad sensum aequivocum quod tantum ego sum Robertus, et tamen homo Romae alius a me est Robertus. Contradictio, secundum Philosophum, I *Elenchorum*, non est nominis tantum, sed est nominis et rei. Aliquando tamen contingit talia nomina propria ex modo significandi fieri appellativa univoca, et sic est concedendum plures esse Robertos. Communiter autem vulgus utitur huiusmodi nominibus nunc proprie nunc appellative, nec distinguit quando differenter sic accipit. Ideo frequens et inutilis est in talibus sophisticatio.

Sed aliud est aequivocum a consilio, quod est signum ex impositione significans aliqua primarie sub diversis actibus secundum rationes dispares quarum una tamen est analogica vel proportionalis ad aliam, sed non correspondet illi signo adaequate aliqua una intentio vel conceptus ad omnem rem sic significatam. Et isto modo iste terminus “canis” significat caeleste sydus, marinam beluam et animal labrabile, et forte propter proportionales proprietates repertas in omnibus istis rebus, puta acute mordendi vel aliud huiusmodi. Propter quas proprietates forsitan fuit nomen a consilio impositum ad significandum unum aequivocatorum prius quam fuit impositum ad significandum aliud. Et isto modo dicitur “sanum” aequivoce de dieta, urina, medico, subiecto sano, et “acutum” de sapore, voce et cultello, et ita de aliis.

Et conveniunt isti duo modi in hoc, quod in utroque est signum significans aliqua aequae primo sub disparibus rationibus quibus non correspondet aliqua una intentio <f. 70v> vel conceptus communis secundum illud nomen ad omnem rem quam significat - semper loquendo de significatione ad placitum et non de significatione naturali. Aequivocando enim de significatione naturali et ad placitum fortasse quilibet terminus diceretur aequivocus, significando se ipsum et aliud ex impositione.

Sed tertio modo dicitur signum aequivocum analogum cuius primum significatum est analogum. Et hoc contingit quando illud significatum participatur a pluribus secundum prius et posterius, quo ad ordinem intelligendi, vel secundum maius et minus; modo quo ens participatur a substantia et accidente. Non enim contingit intelligere accidens, cum sit modus substantiae, nisi praeintelligendo substantiam; immo omnis substantia est magis ens quam accidens.

Vel dicitur, secundum aliquos, ens a parte rei analogum eo quod est participatum a generibus diversis, quorum unum genus causat omne quod est per se in alio genere et secundum quidlibet sui causat aliquid alterius generis; sicut ens communicatur substantiae et accidenti. Nam omnis substantia causat aliquod accidens et omne accidens causatur ab aliqua substantia - sed de isto posterius.

Et patet quod iste terminus “homo” non est analogum in significando speciem hominis et personam, cum species ipsa sit aequae primo et non secundum maius et minus participata a quolibet homine quo ad rationem essendi in genere, quamvis non quo ad rationem accidentalem existientiae. Ut quamvis unus homo sit prius tempore quam alius datus, non tamen est maius vel prius natura homo quam alius.

Sed quarto modo dicitur signum aequivocum generale si significet res diversarum perfectionum essentialium. Et sic omne genus est aequivocum; propter quod dicit Aristoteles in VII *Physicorum* quod in generibus multae latent aequivocationes.

Ulterius notandum est quod aliqua sunt aequivoca aequivocantia, ut signa aequivoce significantia, et aliqua sunt aequivoca aequivocata, ut res quae significantur aequivoce per terminos aequivocos. Et sic aequivoca aequivocata sub uno signo sunt sub alio signo univoca univocata; ut animal latrabile est aequivocum aequivocatum sub <f. 71r> isto termino “canis” et univocum univocatum sub hoc signo “animal”. Aequivoca etiam aequivocantia sunt univoca univocata, ut hoc signum “canis” est aequivocum aequivocans et univocum univocatum sub hoc nomine “aequivocum” vel sub hoc nomine “nomen”. Similiter aequivocum aequivocans potest esse univocum univocans, ut iste terminus “animal” significando animal verum et animal pictum est quo ad sic apprehendentem aequivocum, sed significando alteri solum animal verum est sibi univocum. Similiter idem signum, quod in uno idiomate univocat sua significata <et> in alio idiomate univocat alia significata, apud scientem utrumque idioma ae-

quivocat sua significata in diversis idiomatibus. nunquam tamen stat idem signum respectu eorundem in eodem idiomate eidem simul esse aequivocum aequivocans et univocum univocans. Et patet quomodo in proposito Aristoteles describit aequivoca aequivocata per signa primo modo, secundo vel tertio modo aequivoca.

{Contra: aequivoca aequivocata habent eandem rationem secundum nomen sub quo aequivocantur, ut patet; ergo illis non competit dicta descriptio aequivocorum. Similiter sub descriptione quam ponit Aristoteles univocorum continetur univocum primo modo dictum, ut patet. Et idem dicit Burley. Et illud est aequivocum tertio modo. Ergo idem continetur sub istis duobus descriptionibus. Et tamen sunt contrarie, ut patet. (*notat mg. alia man.*)}

Expone ergo textum sic: aequivoca dicuntur (id est: entia dicuntur aequivoce) quorum entium nomen sub quo aequivocantur solum est commune, ratio tamen definitiva, vel proprietas non analoga vel transcendens, diversa secundum nomen (id est: quo ad significationem istius signi aequivocantis); ut animal quod est homo (id est: animal verum) et quod pingitur (id est: animal pictum). Si quis enim assignet quid sit utrumque in quo sunt animalia (id est: proprietatem secundum quam utrumque dicitur secundum hoc nomen “animal”), propriam (id est: differentem) utrique assignabit rationem, sic quod non communem. Ubi primo textus dicit quod aequivoca dicuntur et non quod aequivoca sunt ad innuendum quod res non sunt aequivocae nisi sub quadam habitudine, ut ab eodem signo aequivoco repraesentantur. Et additur iste terminus “solum” ad excludendum identitatem rationis competentem adaequate nomini aequivocati. Et additur ista particula “secundum nomen vero ratio diversa substantiae”, quia quamvis animali latrabili et marinae beluae sit eadem ratio definitiva conveniens, cum utrumque sit substantia animata sensibilis, non tamen primo definitione est canis substantia animata sensibilis; ideo non competit eis haec definitio secundum hoc nomen “canis” etc.

<De univocis>

Univoca dicuntur etc. Hic Aristoteles ponit descriptionem univocorum. Ubi primo notandum quod tripliciter est aliquod signum aut eius primum significatum univocum. Primo modo <f.71v> dicitur omne signum univocum quod sub uno conceptu plura [ad] adaequate significat, sive praedicetur de illis aequaliter, sive secundum maius et minus, sive secundum prius et posterius. Et isto modo transcendentia sunt univoca.

Sed secundo <modo> magis proprie dicitur signum univocum si plura sub uno conceptu adaequate significet quibus competit aliqua differentialis proprietas aequae primo. Sic omne genus praedicabile est univocum. Et voco differentialem proprietatem proprietatem essentialem non participatam secundum maius et minus, per quam distinguitur ens unius praedicamenti vel generis a re alterius praedicamenti vel generis. Et dico “aequae primo” propter analogia, quae secundum maius et minus sive secundum prius et posterius competunt suis contentis, ut substantia est tam maius ens quam prius ens quam accidens.

Sed tertio modo strictissime dicitur signum univocum quod solum res eiusdem perfectionis essentialis sub eadem definitione significat. Sic species specialissima solum est univoca.

Expone ergo textum sic: entia dicuntur univoca (id est: univoce) quorum nomen sub quo significantur est commune et secundum illud nomen eadem est substantiae ratio, ut homo et bos univocantur sub animali.

Ubi primo notandum quod in neutra istarum descriptionum ponitur “ratio” pro definitione, quia tam definitio quam etiam generalissima praedicantur univoce, et tamen non habent definitiones; sed sufficit quod res significatae conveniant in quadam habitudine non transcendente, ratione cuius imponebatur nomen ad aequae primo talia significandum. Et sub ista habitudine contingit sub conceptu communi illis rebus adaequate intelligere per idem signum huiusmodi significata. Et hoc requiritur ad univocum per se in genere.

Intellige secundo quod in praedicta descriptione non accipitur substantia secundum quod distinguitur tantum ab accidente, sed accipitur indifferenter pro quacumque essentia. Et hoc modo dicimus quod color est substantia albedinis, et grammatici dicunt quod omne nomen significat substantiam.

Intellige tertio quod frequenter contingit nos uti successive eodem signo nunc univoce et nunc aequivoce, sicut textus facit de isto termino “animal”. Hoc frequenter accidit tam in textibus quam e-

tiam in modo loquendi quod nunc modificatur terminus ad pauca significandum et alias aequivocatur ad plura.

Intellige quarto quod nunquam <f. 72r> concedenda est propositio de plurali, secundum quosdam, ubi terminus aequivocus praedicatur in plurali de multis significatis per subiectum nisi fuerit univocatio istorum ad praedicatum; ut non est concedendum quod animal latrabile et caeleste sidus sunt canes. Potest tamen probabiliter dici quod sic, eo quod termino plurali potest correspondere conceptus aggregatus etc. (*lectio dubia*). Et sic videtur loqui Aristoteles in prima descriptione dicendo quod si quis assignet in quo animal verum et animal pictum sunt animalia differentem utrique assignabit rationem. Ubi manifestum est istum terminum “animalia” in plurali aggregare in se diversos conceptus aequivocos - cum aliter Aristoteles indebite loqueretur.

Intellige quinto quod non loquitur hic Philosophus de solis nominibus prout distinguuntur ab aliis partibus orationis, sed intelligit per “nomina” tam verba quam participia ac alias partes orationis categoricas quae sumuntur aequivoce.

<De denominativis>

Denominativa dicuntur etc. Hic ponitur tertio descriptio denominativorum, quae talis est: denominativa dicuntur quaecumque ab aliquo habent secundum nomen appellationem (id est: derivationem vel denominationem), quorum signa vel appellationes solum terminatione casuali differunt a signis entium a quibus denominantur; ut a fortitudine denominatur aliquis esse fortis, et a grammatica grammaticus et ita de aliis.

Ubi patet quod Aristoteles mixtim informat nos in denominationibus entium et signis denominativorum et denominantium. Res enim sunt denominatae, seu potius denominabiles, et signa rerum sunt denominativa, vel verius signa denominantia, et homo est proprie denominatus.

Verumtamen grammatici magis utuntur talibus terminis pro nominibus signorum quam significatorum. Sic enim (*lectio dubia*) dicunt nomina appellativa, relativa, possessiva et pronomina.

Notandum ergo, secundum expositores, quod ad signum vere denominativum, ut loquitur Aristoteles in proposito, duo requiruntur. Primo quod signum sit concretum, connotans in obliquo unum accidentale <f. 72v> denominato significatum per abstractum, quod abstractum est signum denominantis; ut album, quod est denominativum, cum sit idem quod subiectum habens albedinem, connotat in obliquo rem significatam per istum terminum “albedo”, qui est abstractum significans albedinem denominantem, quae est accidentalis denominatio. Secundo requiritur quod signum denominativum conveniat cum signo denominantis in principio dictionis et discrepet in fine ab eodem. Sic mulier non dicitur denominative musica a musica, cum signa sint omnino synonyma quo ad vocem sed aequivoca quo ad sensum. Nec denominative dicitur homo morosus in comparatione ad hoc signum “virtus”, quamvis vere dicatur morosus a virtute. Nec nominatur quis studiosus a studio, propter discrepantiam in sensu. Nec quarto modo praedicatur differentia specifica denominative de sua specie, quia non connotat accidens suae speciei.

Notandum quod a cuiuscumque praedicamenti ente potest subiectum denominative dici. † Dicitur tamen cum paribus fit tale ens accidentale denominato † ut a monte dicitur quis montanus, ab homine dicitur opus humanum, a quantitate dicitur homo quantus, ab albedine albus, a paternitate pater, ab actione agens, a passione patiens, a loco locatus, ab ubi ubicatus et ita de aliis. Grammatici autem dicunt denominativa, quae nos vocamus concreta, esse primiiva suorum abstractorum, attendentes ad verbalem derivationem. Logici tamen attendunt reales rerum denominationes.

Textus autem potest uno modo de rebus exponi ad istum sensum: res dicuntur denominative quaecumque habent appellationem (id est: denominationem) ab aliquo denominante, differentia (id est: quae differunt) secundum nomen, quia habent ab isto denominante a nomine eiusdem nominantis solo casu (id est: quae differunt sola terminatione casuali aut sola cadentia vocis). Vel potest secundo <modo> de vocibus sic exponi: et [et] omnia dicuntur denominativa quaecumque habent appellationem secundum nomen (id est: convenientiam vel derivationem) ab aliquo solo casu differentia (id est: quae differunt sola terminatione casuali ab illo principali a quo derivantur). Prior tamen expositio est realior et verior, saltem mihi.

Notandum quod tripliciter dicuntur aliqua denominative. Primo modo large, quaecumque nominantur <f. 73r> nominatione concreta, cui correspondet abstractum in sensu conveniens. Et isto modo potest homo dici denominative rationalis a rationalitate, et quantitas quanta a se ipsa. Sed secundo modo dicitur aliquid stricte denominativum eo quod nominatur nominatione concreta sibi accidentali, cui correspondet abstractum huiusmodi. Et isto modo mulier potest dici denominative musica a musica. Sed tertio modo strictissime dicitur illud solum denominative respectu alicuius quod nominatur nominatione concreta sibi accidentali ab obliquo denominante, cuius nomen differt a nomine quod habet denominatum ab eodem sola terminatione casuali. Et illo modo loquitur Aristoteles in proposito. Et isto etiam modo verum est quod nullum genus praedicatur denominative de suo per se inferiori.

Et patet distinctio rerum quae sunt in eodem praedicamento a rebus alterius praedicamenti et etiam a rebus transcendentibus extra genus ex diversitate modi praedicandi, cum res unius praedicamenti praedicantur de se invicem univoce, res transcendentibus praedicantur aequivoce, et res unius praedicamenti de rebus alterius praedicamenti denominative.

Notandum quod praedicatio denominativa non distinguitur simpliciter a praedicatione univoca et aequivoca. Nam si concretum denominativus dicitur secundum eandem rationem et in eadem significatione de omnibus sic denominatis, tunc est praedicatio univoca. Si autem dicatur de illis secundum diversos modos tunc est praedicatio aequivoca. Exemplum primi: album dicitur de omnibus albis secundum eundem modum, quia secundum modum quo talia informantur albedine; et ideo album praedicatur denominative et univoce. Sed sub alia ratione dicitur homo sanus et urina sana; unum quia est subiectum sanitatis, alterum quia significat sanitatem; et ideo sanum praedicatur denominative tam de homine quam de urina, tamen aequivoce etc.

<De subiecto et praedicato>

Eorum quae dicuntur etc. Haec est secunda pars primae partis, quae *Antepredicamenta* vocatur, in qua determinatur quae et qualia sunt illa quae sunt in genere et quomodo distinguuntur ab aliis per diversitatem modi essendi; ubi innuit huiusmodi divisionem: entia aliqua sunt simplicia, quibus correspondet unicus conceptus simplex, cuiusmodi sunt entia quae significantur per incompleta, et alia sunt entia aggregata per accidens, ut <f. 73v> entia quibus correspondent multi conceptus et non aliquis primo vere unus et simplex, cuiusmodi sunt entia quae significantur primo per complexa.

Et de entibus primo modo, quae sola sunt per se in genere, est ulterior divisio, quia aliqua talia sunt substantiae, aliqua accidentia; et utriusque membri aliqua sunt communia et aliqua singularia. Et patet per locum a sufficienti divisione modus essendi istorum quae sunt in genere. Nam ad hoc quod aliqui sit per se in genere requiritur quod sit simplex, non aggregatum per accidens, cuiusmodi aggregatum non est simplex nec vere unum. Requiritur etiam quod sit substantia singularis vel communis, aut accidens commune vel singulare.

Et quod haec sit sententia Aristotelis patet per Boethium super isto loco, sic dicentem: “parvissima -inquit- divisio est quae fit in quattuor: in substantiam et accidens, universale et particulare. Omnis enim res aut est substantia aut accidens, aut universalis, aut particularis”. Et intendit Boethius de re per se in praedicamento. Et sequitur: “prima quidem est omnium rerum divisio in substantiam et accidens; sed quoniam substantia proferri non potest nisi aut universaliter vel particulariter intelligitur. Nam cum dico “homo” rem dico universalem; cum autem dixi “Sortes” vel “Plato” rem dixi particularem. Et sic sunt quattuor complexiones: substantia universalis, substantia particularis, accidens universale et accidens particulare”. Et sequitur post: “quattuor complexiones (id est: universalem substantiam et universale accidens, particularem substantiam et particulare accidens) disponere cupiens Aristoteles non eorum nomina, sed descriptiones apponit”. Haec Boethius in commento suo.

Expone ergo textum sic: eorum quae dicuntur (id est: significantur) aliqua dicuntur per complexionem (id est: significantur primo per complexa), cuiusmodi sunt aggregata per accidens, quae non sunt per se in praedicamento, ut sunt aggregata ex homine et cursu suo et [aggregatum] ex homine et victoria sua, quae primarie significantur per talia signa (significata *ms.*) “homo currit”, “homo vincit”, vel melius “homo currens”, “homo vincens”. Et aliqua dicuntur sine complexione, cuiusmodi sunt entia simplicia, non aggregata ex diversis rebus in genere, ut homo, bos, cursus (currit *alia man. interl.*), victoria (vincit *alia man. interl.*). Sumitur enim verbum in utroque exemplo pro re verbi.

Ubi notandum quod incomplexum sumitur dupliciter: uno modo pro termino simplici, non ex multis aggregato, vel pro termino ex multis terminis <f. 74r> composito existente (*lectio dubia*) extremo propositionis, ut “homo albus” vel huiusmodi. Et conformiter accipitur complexum vel pro oratione vel pro quolibet tali termine ex multis terminis aggregato. Aristoteles tamen hic non loquitur nisi de incomplexo primo modo; sed de complexis loquitur tam primo modo quam secundo.

Eorum quae sunt. Sequitur secunda divisio quadrimembris, de qua loquitur Boethius. Et est divisio primi membri prioris divisionis. Dicit ergo Philosophus quod eorum quae sunt aliqua de quodam subiecto dicuntur (id est: de aliquo per se inferiori - omne <enim> tale dicitur subiectum respectu sui superioris, quasi sub illo iactum), in subiecto vero nullo sunt (id est: non sunt inhaerenter et subiective in aliquo), cuiusmodi sunt substantiae universales. Substantia enim universalis, eo quod communis est, dicitur de aliquo per se inferiori, quod Aristoteles vocat dici de subiecto, et in eo quod substantia est dicitur per se ens, et sic non est alteri inhaerens. Esse in subiecto est esse inhaerenter in aliquo; inhaerere enim dicit inesse subiective accidentaliter et non cadere (*lectio dubia*) in compositionem qualitativam vel quidditativam illius cui inhaeret. Exemplificat autem Aristoteles: ut homo communis dicitur de aliquo per se inferiori, quia de homine singulari, sed non est in subiecto. Sic enim frequenter intendit (intē^t) communia per terminos communes indefinite sumptos, et per terminos particulares, qui proprie significant actum participandi communem in sua singularia, intendit (intē^t) singularia. Alia vero quidem in subiecto sunt (id est: in aliquo subiective), sed de subiecto nullo dicuntur (id est: de nullo per se inferiori), cuiusmodi sunt accidentia singularia. Nam in eo quod accidens est inhaeret alteri et in eo quod singulare est non habet per se inferius. Et subdit Aristoteles: “in subiecto esse dico quod cum in aliquo est (supple: informative) non sicut quaedam pars impossibile est tamen esse sine eo (id est: nisi per illud) in quo est. Et patet quod isto modo essendi in subiecto solum accidens est in subiecto. Nam per hoc quod dico “informative” excluditur modus essendi tamquam in fine vel efficiente, quomodo omnia sunt in Deo et inferiora in causis superioribus. Excluditur etiam modus essendi locati in loco et totius in parte quantitativa, aut partis in toto. Et per istam particulam “non <f. 74v> sicut quaedam pars” excluditur modus essendi formae in materia aut partis in toto, sive fuerit pars quantitativa, ut manus, pes etc., sive qualitativa, sicut materia et forma, sive quidditativa, sicut differentia substantialis et superius praedicative respectu sui inferioris, sive pars subiectiva, sicut inferius respectu sui superioris. Ita quod sit sensus: non sicut quaedam pars illius cui inest aut componens cum illo cui inest. Forma enim est in materia non tamquam pars materiae et informative et impossibile est illam esse nisi per materiam; tamen licet non sit pars materiae, tamen est vere pars componens cum materia. Intelligitur ergo

“non sicut quaedam pars” negative ad sensum expositum tam pro parte eius cui inest tam etiam pro parte cum illo cui inest componente. Et per tertiam particulam excluditur modus essendi causati in sua causa aut locati in loco, aut subiectio in suo accidente, modo quo dicitur “homo est in bono statu, in sanitate etc. Exemplificat autem textus: ut quaedam grammatica (id est: grammatica singularis) est in subiecto, id est in anima, et non dicitur per se de aliquo inferiori, et quoddam album (id est: albedo singularis) in subiecto est, sed non dicitur de subiecto ad sensum expositum. Alia vero de subiecto dicuntur (id est: de aliquo per se inferiori) et in subiecto sunt, ad sensum expositum, cuiusmodi sunt accidentia universalialia, ut scientia dicitur de aliquo per se inferiori, quia de grammatica, et est in subiecto (id est: in anima).

Et si arguitur quod accidentia communia sunt primo et immediate subiectata in subiectis universalibus sicut accidens singulare est primo in substantia singulari, dicitur quod non oportet generaliter.

Pro quo notanda est distinctio accidentium. Aliqua enim sunt accidentia quae implicant suum subiectum primum et immediatum esse per se mobile (et talia nunquam insunt formaliter et immediate subiectis communibus), cuiusmodi sunt nigredo, albedo, alteratio, augmentatio, diminutio etc. - non enim concedendum est quod homo communis ridet vel albatur. Et generaliter genera et species huiusmodi accidentium sunt primo quo ad dependentiam essentialem in substantia aliqua communi tamquam <in> subiecto remoto, sed non primo et immediate sunt in illa (illo *ms.*) secundum formalem denominationem tamquam subiecto immediato; sed solum sunt in subiecto singulari secundum formalem et immediatam denominationem, quamvis non primo primitate adaequationis. Ut risibilitas in communi in nullo est secundum formalem et immediatam denominationem, nisi in aliquo singulari habente <f. 75r> aptitudinem ad ridendum; in nullo tamen singulari est primo et adaequate, cum sine quolibet tali singulari signato stat illam esse. Sed primitate immediationis est primo in quolibet singulari homine, cum aptitudo ad ridendum sit aequae primo et immediate in quolibet homine et in nullo formaliter prius quam singulari. Homo enim communis non est risibilis, sed risibile, in neutro genere in denominatione remota, propter hoc quod est aliquod singulare risibile; risibilitas tamen in communi dependet ab homine in communi - et ita est de aliis accidentibus communibus. Omnia tamen talia sunt in subiecto communi quantum ad dependentiam, sed quantum ad formalem denominationem sunt in singularibus, quamvis non primo primitate adaequationis.

Potest tamen probabiliter dici quod est dare substantias aggregatas ex multis individuis eiusdem speciei; ut multi homines sunt unus homo aggregatus, ad modum loquendi Porphyrii, qui dicit “participatione speciei plures homines sunt unus homo aggregatus”. Sic enim dicimus lumen aggregatum ex

multis luminibus et potentiam aggregatam ex multis potentiis. Immo multi non ponunt universalia a parte rei praeter talia aggregata. Et tunc est dicendum quod est dare aggregatum ex omnibus hominibus praesentibus, praeteritis et futuris, consistens in successione, quod foret subiectum primum risibilitatis in communi, quia nulli inest risibilitas in communi nisi illi aggregato vel eius parti. Conformiter aggregatum ex omnibus currentibus praesentibus, praeteritis et futuris foret subiectum primum cursus in communi - et ita de aliis.

Sed alia sunt accidentia quae non implicant suum subiectum primum et immediatum esse per se mobile, cuiusmodi sunt relationes per accidens in genere et respectus, cuiusmodi sunt causare, diligere. Et talia bene possunt praedicari formaliter et immediate de universalibus. Sed de istis attentius vide in capitulo de substantia.

Alia vero neque in subiecto sunt neque de subiecto dicuntur, cuiusmodi sunt substantiae singulares, quia in eo quod sunt substantiae non inhaerent et in eo quod sunt singulares non sunt communicabiles multis suppositis. Simpliciter (id est: generaliter) quae sunt individua et numero singularia de nullo subiecto dicuntur, quamvis aliqua <f. 75v> talia in subiecto sunt, cuiusmodi sunt accidentia singularia, ut dictum est.

<De regulis praedicationis>

Quando alterum. Ostenso in communi quomodo ea quae sunt in praedicamento se habent quo ad modum praedicandi, quo ad modum essendi, hic ostendit quomodo differenter se habent res unius generis ad res alterius. Et innuit talem differentiam, quod res quae sunt in eodem praedicamento sic se habent ad invicem quod omnia superiora sunt partes definitionis et quidditativae respectu inferiorum et praedicantur de illis essentialiter. Et hoc innuit quando dicit: “quando alterum de altero praedicatur ut de subiecto (id est: de per se inferiori) quaecumque per se de praedicato dicuntur omnia et de primo subiecto dicuntur”.

Ideo dicit Boethius super eodem: “sola illa de subiecto praedicantur quaecumque in cuiuslibet rei substantia et definitione ponuntur”. Et patet: licet sequatur ‘homo est animal; et animal est corpus vel sensibile; ergo homo est corpus vel sensibile’, non tamen sequitur ‘homo est animal; et animal est album; ergo homo est album’, quia album non praedicatur per se de animali. Nec sequitur propter eandem causa ‘homo est animal; et animal dicitur de multis specie differentibus; ergo homo sic dicitur’.

Verumtamen quantum ad res diversorum praedicamentorum est ita quod sicut diversa sunt genera ita sunt diversae differentiae constitutivae et diversae species. Et sic diversa genera non communicant in partibus quidditativis nisi fuerint subalterna (id est: sub eodem genere supremo posita) vel unum sub alio. Et hoc innuit cum dicit: “diversorum generum et non subalternatim positorum (id est: quorum neutrum ponitur sub alio nec ambo sub aliquo tertio genere) diversae sunt species et differentiae, ut animalis et scientiae. Dividitur enim animal in gressibile, volatile et bipes. Scientia vero nullam istarum differentiarum continet in sua definitione, neque etiam per istas dividi potest vel distingui una scientia ab alia. Sed subalternatorum generum (id est: quorum unum ponitur sub alio vel ambo sub aliquo tertio) contingit easdem esse differentias, saltem constitutivas, quia cum superiora praedicantur de suis inferioribus essentialiter, quaecumque differentiae constitutivae praedicatae fuerint de superioribus eadem erunt et subiecti differentiae constitutivae”.

Ubi notandum quod Aristoteles nec hic nec in praecedentibus loquitur tantum de subiecto vel de praedicato verbali seu propositionali (*lectio dubia*), <f. 76r> sed de reali. Est enim praedicari realiter inesse, ut humanitas realiter praedicatur de me, quia realiter inest mihi, qui (quod *ms.*) sum homo; albedo etiam praedicatur de me, vel communicatur mihi, quia inest mihi, qui (quod *ms.*) sum albus.

Pro quo notandum quod communicabile dicitur aliquid dupliciter, scilicet <1> realiter vel per identitatem, ita quod sit ipsum cui communicatur (et isto modo universale communicatur suo singula-

ri); <2> secundo modo aliquid est communicabile per informationem, ita quod illud cui comunicatur non sit ipsum, sed ipso informatum (et isto modo communicatur forma materiae et accidens suo subiecto).

Secundo notandum quod “subiectum” sumitur aliquando pro extremo propositionis, sive supponat verbo (quod vocatur subiectum locutionis) sive limitet propositionem <vel propositionis> quantitatem (quod vocatur subiectum distribuibile, vel melius subiectum quantitatis, apud sophistas, et vocatur suppositum in grammatica). Et praedicatum sumitur correspondenter pro termino apposito; et praedicari est terminum dici de termino in propositione. Et isto modo dicunt sophistae quod alia est praedicatio vera et alia falsa, alia directa, alia indirecta, alia affirmativa, alia negativa; et sic de ceteris. Sed alias sumiter “subiectum” realiter pro omni quod recipit aliud a se formaliter. Et isto modo materia prima dicitur subiectum et forma dicitur praedicatum, ut loquitur Aristoteles in I *Physicorum*, commento 52°, et Commentator VIII, commento 6°. Isto modo et generaliter est substantia subiectum respectu sui accidentis. Sed tertio modo ad propositum dicitur subiectum esse quod per se supponitur alteri tamquam inferius; et sic species dicitur subiectum seu pars subiectiva respectu sui generis, et praedicatum dicitur realius et communius respectu minus communis. Et sic intelligit Aristoteles “quando alterum de altero dicitur ut de subiecto” etc. Et sic realiter praedicari est formam inesse formato realiter aut communius inesse essentialiter minus communi. Et isto modo dicuntur seu praedicantur species aut genera realia de suis per se contentis etc.

<De dictionibus complexis et incomplexis>

Eorum quae secundum nullam etc. Ostenso ergo quomodo oportet ea quae sunt per se in praedicamento esse univoca non analogae nec denominative per accidens dicta de suis contentis, et secundo quod oportet ea esse simplicia, distinguendo simplex contra aggregatum per accidens, immo quod oportet ea <f. 76v> esse substantias vel accidentia, et hoc communia vel particularia, et tertio quod oportet ea dici essentialiter de suis contentis, quia ut de subiectis, et quod diversorum praedicamentorum genera non coincidunt in speciebus aut partibus quidditativis contentis in ordine, per locum a sufficienti divisione ostendit quot sunt huiusmodi coordinationes aut genera suprema, dividendo ens in praedicamento in decem exemplariter enumerata, de quibus posterius determinat secundum proprias et speciales proprietates et convenientias. Dicit ergo quod eorum quae secundum nullam complexionem dicuntur singulum (id est: quodlibet singulare) aut significat (id est: realiter dicit vel repraesentat) substantiam (id est: genus generalissimum substantiae). Quodlibet enim inferius realiter dicit suum superius, immo secundum Vitulonem (*sic*) libro 3^o suae *Perspectivae*, conclusione 60, ex intentionibus formarum individualium saepius intuitarum remanet in anima fixio (*lectio dubia*) et certificatio formae universalis. Non ergo negandum est singulare significare suum genus aut aliud universale superius. Individuum ergo in genere aut significat substantiam, aut quantitatem, aut qualitatem, aut ad aliquid (id est: supremum genus relationis, quod est relatio in communi), aut ubi, aut quando, aut situm (scitum *ms.*) esse (id est: positionem in communi), aut habere, aut facere, aut pati (id est: habitum, actionem aut passionem). Sic enim per infinitivum modum frequenter intelligit Aristoteles rem verbi. Et exemplificat per singula, cum dicit: “est autem substantia (id est: res in genere substantiae), ut figuraliter dicatur (id est: exemplariter), ut homo etc.”. Patebit autem distinctio istorum in subsequentibus.

Quod autem ista secundum nullam complexionem dicuntur, ut huiusmodi, probat Aristoteles consequenter dicens quod singula, scilicet signa eorum quae dicta sunt, ipsa quidem secundum se in nulla affirmatione dicuntur. Et cum affirmatio sit potior et simplicior negatione, a pari nec in aliqua negatione dicuntur (id est: per se sumpta nullam faciunt orationem affirmativam vel negativam. Sed horum (id est: signorum) ad se invicem complexione fit oratio affirmativa. <f. 77r> Quod autem ex signis talium per se sumptis non fit oratio patet: nam omnis affirmatio vel negatio est propositionaliter vera vel falsa; signa eorum quae secundum nullam complexionem dicuntur neque vera neque falsa sunt propositionaliter; ergo etc. Per hoc ergo quod dicit quod secundum nullam complexionem dicuntur exclu-

dit aggregata per accidens, et veritates negativas, ac veritates de possibili, de praeterito et futuro - quae veritates nec sunt substantiae nec accidentia, sed entia rationis.

Sed obicitur contra hoc quod dicitur quod nullum incomplexum est verum vel falsum, cum omne ens est verum, ex II *Metaphysicae*, commento 4^o, ubi vult quod unumquodque tantum habeat de veritate quantum habeat de entitate; tum etiam quia aliquando sola dictio est propositio, sicut “curro” vel aliquid huiusmodi. In omni enim verbo primae vel secundae personae, secundum grammaticos, intelligitur nominativus definitus. Et cum omnis propositio sit vera vel falsa, sequitur quod aliquid incomplexum est verum vel falsum.

Hic dicitur quod verum vel veritas sumitur aliquando transcendentem cum convertibilitate cum ente, et sic nedum omne incomplexum est verum. Sed omnis propositio, etiam si fuerit impossibilis, illa est vera, quia ens. Nec est hic sophisma faciendum: ‘haec propositio est vera; sed non est propositio vera’; sicut nec hoc: ‘haec propositio est ens; sed non est propositio ens’.

Et iste modus loquendi de veritate patet per Lincolniensem in tractatu suo *De veritate*, ubi vult quod veritas rei sit ipsam esse ut decet, vel essendi plenitudo, aut conformitas essendi ad rationem qua intelligitur ab intellectu divino, qui est prima veritas, ex II *Metaphysicae*. Et quia haec rectitudo sola mente percipitur, et distinguitur a rectitudine corporali, ideo describitur ab Anselmo veritas sic: veritas est rectitudo sola mente perceptibilis. Falsitas autem opposito modo sumpta non videtur posse esse.

Sed, ut dicit Lincolniensis, res habet multiplex esse, scilicet esse primum sibi essentiale, quod est eius essentia, et esse secundum, quod est distinctum ab essentia sua. Et ideo, ut dicit, res potest esse vera quod ad esse primum et simul cum hoc falsa quod ad esse secundum, ut verus homo est animal quod componitur ex anima rationali et corpore, et idem, si mendax <f. 77v> et vitiosus, est falsus. Haec etiam propositio “homo est asinus”, iuxta esse primum enuntiationis est vera, sed est falsa, quia caret plenitudine secundi esse. Est enim secunda perfectio enuntiationis significare illud esse quod est vel non esse quod non est. Haec Lincolniensis. Et sic omne signum entis quod non est, sive complexum sive incomplexum, potest dici isto modo falsum, cum sit de perfectione signi significare rem esse quae est.

Logici tamen restringunt communiter veritatem et falsitatem ad veritatem et falsitatem enuntiationis, dicentes signum esse verum si ex impositione significet complexe et principaliter rem esse quae est vel cuiusmodi est aut rem non esse quae non est vel cuiusmodi non est. Et tunc dicunt signum falsum esse quando ex impositione significat complexe et principaliter rem esse quae non est. Et isto modo nullum incomplexum, ut huiusmodi, est verum vel falsum. Et patet responsio ad primam rationem.

Ad secundam dicitur quod aliquod est incomplexum voce et significatione quod, videlicet, non componitur vel aggregatur ex pluribus terminis, ut “sic”; et sic significat incomplexum. Sed aliud est incomplexum significatione et non voce, ut esto quod hoc aggregatum “homo est asinus” significet alicui incomplexum. Sed tertio aliquid est incomplexum voce et non significatione, ut dictio una significans complexum. Dicitur ergo quod nullum incomplexum voce et significatione est, ut sic, propositio, verum vel falsum, ad sensum limitatum. Et sic loquitur Aristoteles in proposito.

Contingit tamen aliquod esse incomplexum voce et non significatione, et huiusmodi potest esse propositio, ut “curro”. Et si instetur quod quaelibet propositio categorica habet subiectum, praedicatum et copulam, dicitur quod satis est quod habeat vel aequivaleat (aequivalenter *ms.*). Nam haec dictio “curro” aequivalet in proposito his tribus terminis “ego sum currens”, et conformiter significat illa dictio per se sicut istae tres simul. Et sic patet solutio.

<De numero et sufficientia praedicamentorum>

Sed circa istam partem istius libri occurrunt multa dubia. Primo utrum Aristoteles principaliter hic tractat de rebus significatis vel signis. Secundo utrum iste numerus praedicamentorum sit sufficiens et non superfluus. Et tertium quomodo sunt res differentes in genere.

Quantum ad primum videtur mihi quod Aristoteles hic mixtim de rebus <f. 78r> significatis et signis tractat; sed principaliter de rebus significatis. Nam cum dupliciter potest dici prius: aut prius in ordine procedendi, sicut pars est prior toto cuius est pars, aut secundo modo prius intentione, sicut totum est prius sua parte. Prius ergo in ordine procedendi debet logicus tractare de vocibus quam de rebus. Et hoc sonant verba Boethii, dicentis quod res et rerum significatio necessaria est. “Sed prior - inquit - erit ista disputatio quae est de sermonibus, secundo vero loco illa quae de rerum ratione est necessaria”. Principalior tamen et prior in intentione est logici determinatio de rebus distinctis contra signa, quamvis posterior in ordine procedendi. Posteriora enim in via generationis sunt perfectiora et prius in intentione, ex IV *Metaphysicae*. Et haec videtur sententia Avicennae in prima parte *Logicae* suae, dicentis quod ad considerationem dictionum ducit nos necessitas. Logicus enim, ut huiusmodi, non habet primo occupari circa verba nisi in quantum sunt instrumenta ad communicandum. Nam si logica posset doceri convenientius quam per voces, ut per nutus vel per alia quomodolibet, supersedendum semper esset a verbis. Et sic patet quomodo debent invicem concordare qui videntur contrarie opinari in hac materia.

Notandum tamen quod aliter logicus tractat de signis quam grammaticus. Nam logicus tractat de huiusmodi vocibus non secundum se aut suas proprietates absolute, sed solum sub habitudine qua sunt signa rerum aut veritatum, de quibus est principalis intentio. Grammaticus vero determinat de vocibus secundum proprietates quas participant per respectum ad congruitatem vel incongruitatem in oratione, ut de figuris vocum, de generibus et casibus, cur sunt nomina aut verba etc. Ideo dicit Boethius quod in hoc opere est intentio de primis rerum nominibus et de decem vocibus res significantibus disputare, non in eo quod secundum aliquam proprietatem figuramque formantur, sed in eo quod significantes. Nam cum de substantia, vel facere, vel <f. 78v> pati dicitur, non ita tractatur quasi unum istorum casibus inflecti possit aut vero temporibus pronuntiari (*lectio dubia*), sed quasi aut hominem, aut equum, aut individuum aliquod, aut speciem aut genus significet.

Notandum tertio quod aliter determinat hic de substantia, qualitate, et quantitate etc. et aliter in V *Metaphysicae*. Nam secundum Avicennam, in principio *Metaphysicae* suae, metaphysicus procedit

scientificae circa singula quae conveniunt in ente analogo, logicus autem probabiliter. Et secundum sanctum Thomam, in VI *Metaphysicae*, logica potest considerari uno modo ut est scientia docens modum probabiliter procedendi aut modum sciendi; et tunc considerat de rebus sub ratione qua eis insunt intentiones secundae, ut sub ratione qua est commune vel singulare, genus etc. Et tunc procedit scientificae. Et tunc habet pro subiecto, ut dicit Avicenna, et Lincolnensis, I *Posteriorum*, intentiones secundas prout opponuntur primis. Sed secundo modo potest logica considerari ut utens. Et tunc considerat circa subiectum aequae universale sicut metaphysicus, sed non scientificae. Et sic, secundum Lincolnensem, logica est instrumentum metaphysicae. Et ex dictis potest elici quod subiectum libri hic divisum in decem partes est ens in praedicamento reali significabile per signum incomplexum. Nec contendo, etsi alii exponant hic de vocibus principaliter, quae supra exposita sunt de rebus; nihil enim ad me de his quae foris sunt. Sed satis mihi videtur dicere et explanare sententiam antiquorum.

Quo ad secundum solet sufficientia istorum praedicamentorum ab antiquis conici per hunc modum: omne genus praedicabile aut est per se ens, et sic est substantia, aut est alteri inhaerens, et sic est accidens. Et hoc potest esse tripliciter: aut ratione materiae inhaeret, aut ratione formae, aut ratione compositi ex utrisque. Si autem inhaeret ratione formae, hoc est ab intrinseco, et sic est qualitas. Quae libet enim qualitas aut determinatur a forma substantiali quam sequitur, ut sit eius instrumentum ad agendum aut aliter decorandum suum subiectum. Et talis qualitas a forma substantiali essentialiter conservatur. Sed secundo modo potest accidens inesse ratione formae ab extrinseco; et sic est quando vel quandalitas. Nam forma est causa essendi (*lectio dubia*) et durationis compositi, quia, cum materia <f. 79r> prima sit incorruptibilis, composito non inest periodus ratione materiae, sed ratione formae generabilis de potentia materiae. Ideo duratio vel quandalitas inest composito ratione formae, sed ab extrinseco, quia a tempore mesurante periodum. tertio potest accidens inesse ratione formae partim ab intrinseco et partim ab extrinseco; et sic est actio. Omnis enim actio substantiae vel accidentis provenit radicaliter a forma ut ab efficiente, cum materia non fit de genere activorum. Et quia ad omnem actionem naturalem requiritur passum extrinsecum in quo agatur, ideo dicitur quod partim ab extrinseco provenit radicaliter. Si autem secundo principaliter sit inhaerentia accidentis in genere ratione materiae, aut hoc est ab intrinseco; et sic est quantitas. Materia enim est causa sine qua non est quantitas, quamvis efficienter (*effi^{ter}*), sed non formaliter, quantificantur et figurantur corpora secundum appetitus formarum. Divisibilitas enim quantitativa trahit originem a materia. Illa enim quae carent materia sunt indivisibilia quo ad molem. Si autem ab extrinseco, sic est ubi. Nam ubi secundum auctorem *Sex principiorum* est in locato causatum a locante extrinsece, et inest ratione materiae, cum solum materialia

seu quanta sunt locata proprie, ita quod subducta materia subducitur ubi et locus. Si partim ab extrinseco et partim ab intrinseco, sic est passio. Nam passio per agens extrinsecum causatur in [in]passum, quod ratione materiae stabilitur et expectat actionem, quia nihil est physice passibile nisi materiale. Ideo dicit Commentator, I *De generatione*, commento 8°, quod caliditas, si foret per se, foret activa et non passiva. Si tertio principaliter insit composito accidens ratione compositi, hoc est aut ab extrinseco, et sic est habitus, quod est ultimum praedicamentum, modificatum ad possessiones rerum temporalium quae sunt extrinsece possidenti; aut secundo inest ab extrinseco, et sic est relatio. Nam quamvis multae sint relationes inter res distantes, eo ipso tamen quod est compositum insunt sibi infinitae relationes ab intrinseco, quae sunt fundatae in quantitate et qualitate subiecti. Et solum composito insunt huiusmodi accidentia quae requirunt fundamenta <f .79v> absoluta qualia solum sunt in praedicamento relationis, quamvis relationes rationis non sic faciunt - ut dicitur posterius. Sed tertio insit mixtim, partim ab intrinseco et partim ab extrinseco; et sic est positio. Nam positio est partium ordinatio in comparatione ad aliquod extrinsecum.

Sed ex tota ista narratione non capitur completa sufficientia praedicamentorum quo ad istum numerum. Nam ex ista narratione videtur quod sola accidentia quae inhaerent substantiae corporeae forent per se in genere. Consequens falsum, cum multae sunt scientiae et aliae qualitates in intelligentiis quae aequae videntur esse per se in genere - sicut et ipsae intelligentiae, quas oportet ponere per se in genere, cum aliter substantia non divideretur in substantiam corpoream et incorpoream, ut dicit Porphyrius.

Item, qualiscumque analogia reperitur inter qualitatem et quantitatem, tanta reperitur inter quantitatem continuam et quantitatem discretam; ergo sicut non repugnat unum esse genus quantitati continuae et quantitati discretae, ita non repugnat quod accidens absolutum foret unum commune ad qualitatem et quantitatem. Et antecedens patet ex se, quia nulla reperitur analogia inter qualitatem et quantitatem nisi dicatur omnem qualitatem per se in genere inesse substantiae materiali; et sic praesupponere materiam, et per consequens quantitatem. A pari diceretur omnem numerum praesupponere quantitatem continuam; immo et oratio praesupponeret tempus. Ergo ubique foret tanta analogia.

Item, sicut prius est substantia quam accidens, ita prius est corpus inanimatum quam animatum, et tantum dependet corpus animatum a corpore inanimato, sicut accidens a substantia; ergo tanta est analogia inter corpus animatum et corpus inanimatum sicut inter substantiam et accidens; ergo non est dare aliquod genus comune illis. Et conformiter potest argui de qualitate prima et qualitate secunda.

Hic solet responderi communiter dicendo quod duplex est analogia. Aliqua enim est analogia quo ad essentialem existentiam et non quod ad generalem cognitionem vel apprehensionem per cognitionem suarum causarum. Et isto modo <f. 80r> dependent inferiora a superioribus lationibus et omne causatum a qualibet per se causa. Et ista namque analogia non excludit rationem generis. Sed alia est analogia aliquorum ad invicem quo ad cognitionem vel apprehensionem in genere, cuiusmodi est specialiter (spe^{ter}) accidentis ad substantiam. Non enim possum cognoscere substantiam esse albam, quod est albedo, nisi naturaliter saltem praecognoscendo substantiam; et sic de ceteris accidentibus: quamvis aliqui grosse concipientes nullam admittunt rem distinctam contra substantiam nisi quam contingit separari a substantia. Et ista analogia, ut dicit responsio, excludit rationem generis. Et sic ens non est genus ad substantiam et accidens; nec accidens est genus ad omnia accidentia, cum sit analogia secundo modo dicta inter accidens absolutum et accidens respectivum. Non enim relatio cognosci potest nisi praecognoscendo fundamentum, nec quando nisi praecognoscendo tempus, et ita de aliis.

Sed videtur mihi istam responsionem non clare dicere quae sit analogia inter qualitatem et quantitatem et non correspondentem (corn^{ter}) inter quantitatem continuam et discretam.

Item, impossibile est cognoscere aliquam substantiam nisi praecognoscendo accidens, cum accidentia sint per se sensibilia et substantia non sentitur nisi per accidens, et omnis nostra cognitio viam habet a sensu.

Ideo dicit alia via quod omne tale et solum tale genus est analogum quod habet sub se duo genera, quorum unum causat omne quod est in alio genere et secundum quodlibet sui contentum causat aliquod contentum alterius generis; ut omnis substantia causat accidens et omne accidens causatur ab aliqua substantia. Ideo quodlibet praedica[men]tum de substantia et accidente est analogum.

Sed contra istam viam est quod omne inanimatum causat aliquod animatum, saltem si mundus sit animatus; et omne animatum causatur ab aliquo inanimato; ergo nullum foret genus univocum illis.

Item, omnis binarius causat aliquod ternarium, et omnis ternarius causatur ab aliquo binario; ergo genus numeri praedicatum de illis foret aequivocum. Et ita de multis aliis.

Ideo respondetur ad istam difficultatem. Et suppono primo quod ens non est genus, sicut probat Aristoteles, III *Metaphysicae*, t.c. 16. Nam proprium est generis certificare de quaestione quid est, ad quam cognoscendam <f. 80v> praesupponitur cognitio si est, ut patet II *Posteriorum*. Sed per ens analogum non certificatur de quaestione quid est, sed solum de quaestione si est. Nam sciendo hoc esse ens non proinde scitur quid est hoc, sed solum scitur hoc esse. Ideo non est genus formaliter - immo ad esse genus requiritur univocatio sine analogia.

Ideo secundo notandum quod ad univocationem generis requiritur quod sit natura positiva multis speciebus quidditative communicata sine participatione suae essentiae secundum maius et minus. Sicut enim substantiae conveniunt in hoc quod nulla illarum est reliqua magis substantia secundum rationem essentialem substantiae, sic omnis quantitas vel qualitas vel quaecumque res alicuius decem generum convenit in hoc cum reliquo sui generis, quod nullum illorum est magis suum genus quam quodlibet eiusdem generis. Et patet illud ex hoc quod omne quod est alteri genus est, ut sic, sibi substantiale vel essenziale, et nullum tale potest participari secundum magis et minus a suis per se inferioribus.

Verumtamen, sicut Deus est magis ens quam substantia, ita substantia est magis ens quam accidens, et unum accidens est reliquo magis accidens. Illa enim accidentia quae sunt minoris entitatis sunt maioris inhaerentiae, et sic sunt magis accidentia. Quantitas etiam videtur esse magis absolutum quam qualitas, cum genus qualitatis habeat multas qualitates de prima specie quae dicuntur ad aliquid.

Et patet satis solutio ad ea quae tanguntur de analogia, cum nec ens nec accidens, nec accidens absolutum potest dici genus, eo quod quodlibet illorum vel non quidditative dicitur de suis inferioribus vel alias secundum maius et minus. Et hoc intelligunt loquentes per “dici secundum prius et posterius”.

Sed ante quam respondeatur ad argumenta principalia arguitur contra viam istam sic: prima substantia est magis substantia quam substantia secunda; ergo substantia dicitur de suis contentis secundum magis et minus. Patet antecedens infra, capitulo de substantia.

Item corpus animatum, sicut tangitur per ante, non est corpus aut substantia nisi per corpus inanimatum, quod est eius per se causa; et unumquodque propter quid et illud magis, ex I Posteriorum; ergo corpus inanimatum foret magis corpus et substantia quam corpus animatum. Et per consequens genus corporis praedicatur secundum magis et minus de suis contentis, et sic est analogum. Consequens falsum.

Item, cum corporeitas sit extensa, sequitur quod corpus pedale plus habet de corporeitate quam eius medietas; <f. 81r> ergo totum foret magis corpus quam eius medietas. Patet antecedens, cum corporeitas totius sit dupla ad corporeitatem medietatis. Sic enim communiter arguitur ignem esse magis essentialiter perfectum qualibet sui parte, eo quod perfectio est extensa.

Item, qualitas, actio, passio atque relatio suscipiunt magis et minus, ut patet infra suis locis; ergo stat cum ratione generis quod ipsum suscipit magis et minus.

Item, perfectione (*lectio dubia*) tante est quaecumque substantia ens quante est substantia; sed aliqua substantia est reliqua magis ens; ergo aliqua substantia est reliqua substantia magis substantia. Patet minor, eo quod generaliter sicut res sunt essentialiter perfectiores sic sunt magis entes.

Item, quodlibet accidens quante est tante inhaeret, eo quod secundum se totum inhaeret; sed accidentia absoluta sunt magis entia quam accidentia respectiva; ergo plus inhaeret absoluta quam respectiva. Consequens contra dicta.

Ad primum istorum dicitur quod substantia et quodlibet aliud genus praeter rationem sibi essentialem habet proprietatem seu passionem sibi accidentalem, et secundum istam contingit ipsum suscipere magis et minus, et non secundum rationem essentialem. Verbi gratia, ratio posterior substantiae et quasi eius passio inseparabiliter accidens est per se subici accidenti absoluto; et secundum illam rationem est prima substantia maxime substantia. Et voco “primam substantiam” substantiam singularem, et “substantiam secundam” voco substantiam communem, cuiusmodi est species humana. Et sic dicitur infra quod substantia prima est magis substantia quam substantia secunda; sed hoc non est secundum rationem substantiae essentialem.

Ad secundum dicitur quod corpus inanimatum non est magis corpus quam corpus animatum. Et ad auctoritatem Aristotelis dicitur quod intelligitur quando causa et causatum communicant in aliqua denominatione et causato non competit dicta denominatio nisi participative, ratione suae causae, quod est principaliter et primo huiusmodi; ut mixtum non est calidum nisi quia participat de caliditate ignis vel aeris, sic quod mixto non est propria caliditas et primo correspondens; ideo mixtum est a posteriori et minus calidum quam ignis aut aer. Sed in proposito non est ita, cum omne corpus habet propriam corporeitatem quam non participat ab aliquo cui prius inesset dicta corporeitas. Vel dicitur quod quando causa et causatum sunt univocata in aliqua denominatione extra essentiam utriusque, <f. 81v> quae denominatio non competit causato nisi propter causam dictam, tunc magis inest illa denominatio causae tali quam causato. Sed sic non est de esse corporeitatis, quae est essentialis tam corpori animato quam inanimato.

Ad tertium dicitur quod duplex est corporeitas. Est enim corporeitas quae est differentia substantialis corporis, et illa non est extensa, sed multiplicata; et de illa foret pertinens argumentum. Et sic assumptum foret falsum. Sed alia est corporeitas quae vocatur trina dimensio, aut quantitas corporea; et ista est extensa. Sed per illam corpus non est formaliter corpus (corpus dico de genere substantiae); sed per illam est corpus formaliter **corpore** quantum. Et loquendo de ista corporeitate tam in maiori quam in minori argumentum non valet. Et quamvis perfectio ignis sit extensa et sit maior extensive quam eius medietas, ignis tamen non est magis essentialiter perfectus quam eius medietas, quia tunc haberet perfectionem duplam in intensione (intencione *ms.*) - quod est falsum.

Ad quartum patet <responsio> ex dictis. Nam qualitas secundum intensionem et remissionem, quae sunt eius passiones, suscipit magis et minus, sicut actio, passio, sive relatio. Immo et quantitas secundum longitudinem, profunditatem aut aliam eius passionem generalem, suscipit magis et minus. Sed nullum istorum generum quod ad rationem eius essentialem suscipit magis et minus in comparatione ad eius contenta.

Ad quintum negatur assumptum, cum false implicatur aequalitas inter rationem generis et rationem transcendentis. Pro quo notandum quod non sequitur ‘substantia incorporea est prius in natura substantia quam homo est substantia, ergo est magis substantia quam homo’, nisi substantia sumatur in sua maxima analogia, ut dicit rationem per se standi. Sic enim Deus est magis substantia quam aliquod causatum et anima est magis substantia quam homo. Sumendo tamen substantiam ut est genus, tunc dicit ens per se natum substare accidenti absoluto, quae aequae primo competit omnibus suis contentis. Numquid tamen substantia incorporea sit per se in tali genere dicitur postea. Dicitur ergo quod prioritas naturae, sicut et maioritas perfectionis essentialis, dicit maioritatem entis, ita quod sicut aliquid alio est magis perfectum, ita est magis ens. <f. 82r> Una ergo substantia est magis ens quam alia, sed non magis substantia quam alia quo ad rationem essentialem substantiae.

Ad ultimum dicitur negando assumptum, cum accidentia proportionaliter sicut magis sunt sic minus inhaerent, et sicut minus sunt sic magis inhaerent; et ita non sequitur ‘accidens secundum se totum inhaeret, ergo quante est tante inhaeret’. Et patet solutio.

His dictis restat respondere ad argumenta principalia. Videtur ergo mihi quod dicta declaratio non est declarativa (lectio valde dubia), sed topica. Ideo multi dicunt istum numerum praedicamentorum sufficere, sed non oportet esse necessarium, ut videtur Avicenna dicere III *Metaphysicae* suae 3°. Alii tamen moralizant decem praedicamenta esse propter convenientiam cum numero digitus, qui sunt decem numeri. Nam et Archytas, secundum Boethium, primo invenit numerum denarium praedicamentorum, quem, ut plurimi, sequitur Aristoteles in hoc libro. Unde alii solum ponunt duo, scilicet substantiam et accidens; alii solum tria, scilicet substantiam, accidens absolutum et accidens respectivum. Immo si quodlibet praedicamentum sit signum et nullum ex parte rei genus vel species, non est ratio plus coartans ad decem quam ad viginti vel quotlibet assignanda. Nam talis artificialis ordinatio signorum et voluntaria si non foret evidentia sumpta a parte rei significatae posset ad libitum quomodolibet variari. Ponendo tamen genera et species a parte rei non dubium quin de necessitate talia decem genera sunt ponenda; sed quin sub pauciori numero possent praedicamenta poni difficile est probare protervo. Satis

tamen foret scire sine inconvenientia sustinere talia decem esse genera et non plura nec pauciora.

Ad primum ergo dicitur quod multi concedunt solam substantiam corpoream vel eius accidens esse per se in genere. Et illis est ista declaratio magis evidens.

Et tunc ad secundum diceret haec via quod accidens absolutum dicitur secundum magis et minus de quantitate et qualitate non propter aliquam prioritatem in modo causandi quae reperitur inter illa genera, sed solum propter modum essendi repertum diversimode in eisdem generibus.

Et ita dicitur ad tertium quod quamvis sit quaedam prioritas in ordine procedendi inter corpus inanimatum et animatum, <f. 82v> tamen esse corpus aequè convenit utrique, et esse quantitatem aequè convenit quantitati continuae et discretæ. Et sic notandum est quod tanta est analogia inter quantitatem continuam et quantitatem discretam sicut inter qualitatem et quantitatem, vel quod tantum dependet corpus animatum a corpore inanimato sicut accidens a substantia, cum nulla sit comparatio admittenda inter istas dependentias. Vel oportet dicere quod infinitum plus dependet accidens a substantia quam corpus animatum a corpore inanimato. Sed numquid sola substantia corporea sit per se in genere vide post, capitulo de substantia.

Nota quod accidens absolutum nullo modo potest esse genus ad qualitatem et quantitatem, cum plura sint accidentia absoluta, ut propriae passionis, quae non sunt nisi per reductionem in praedicamentis suorum subiectorum, privationes, et unitates, et puncta et multa similia quae non sunt qualitates nec quantitates. Et ex istis quis potest devenire in maiorem cognitionem distinctionis praedicamentorum et respondere aliis argumentis fiendis in contrarium.

Quantum ad tertium notandum quod sicut solum res est proprie in praedicamento reali, quamvis termini et voces secundum quod sunt res vere sunt in tali praedicamento, ita in praedicamento logico seu verbali non est aliqua res nisi aequivoce praeter voces et signa.

Unde res tripliciter potest dici in praedicamento reali vel signum in praedicamento verbali. Per se, quando supremum genus illius praedicamenti est praedicabile per se de illo in recto, ut homo est per se in praedicamento substantiae, quia per se homo est substantia. Sed secundo modo est aliquid per accidens in praedicamento quando ipsum est aggregatum per accidens et ex re illius praedicamenti et ex re alterius praedicamenti quae illi accidentaliter inest, ut album est in praedicamento substantiae per accidens, eo quod album dicitur aggregatum ex substantia et albedine. Terminus autem dicitur per accidens esse in genere logico quando genus logicum est sola praedicatione per accidens praedicabile de illo termino in recto, ut per accidens album est substantia. Sed tertio dicitur aliquid esse per (pro *ms.*) re-

ductionem in praedicamento. Et hoc potest intelligi vel large vel stricte. Nam large dicitur omne illud esse in praedicamento <f. 83r> per reductionem quod dividendo (di^{do}) rationem aliquam entis illius generis recipit solam praedicationem illius generis in obliquo. Et illo modo idem est per accidens et per reductionem in eodem praedicamento. Sed stricte dicitur aliquid esse per reductionem in praedicamento quod non existens aggregatum per accidens recipit solam praedicationem supremi generis in obliquo. Et hoc potest esse tripliciter: vel quod dicat rationem per se entis illius generis de quo non praedicatur illud genus in recto, sive illa ratio fuerit per se primo inexistens, ut differentia substantialis, cuiusmodi est rationalitas, sive fuerit per se secundo inexistens, ut propria passio. Nam propriae passiones sunt semper per reductionem in genere suorum subiectorum. Risibiliatis enim non est qualitas, cum tunc esset per se species et haberet proprium distinctum; immo tunc non per se, sed per accidens praedicatur de homine, cum omnia accidentia novem generum sunt accidentia communiter. Sed secundo modo dicitur ens per reductionem in praedicamento quia dicit aptitudinem ad ens illius generis cum negatione eiusdem, ut caecitas dicit aptitudinem ad visum cum negatione visus; et ita de aliis privationibus, quae sunt per reductionem in genere suorum positivorum. Sed tertio dicitur ens esse per reductionem in praedicamento quando maxime convenit cum modo essendi illius praedicamenti in comparatione ad alia praedicamenta, sed non suscipit praedicationem generis supremi de se ipso nisi tantum in obliquo, ut Deus est per reductionem in genere substantiae, et ita de aliis. In hoc enim quod Deus est ens per se maxime convenit cum modo essendi substantiae; et in hoc quod punctus habet rationem mensurae, sicut et instans, ad modum loquendi Aristotelis, IV *Physicorum*, ponentis instans mensurare tempus, in hoc maxime convenit cum modo essendi quantitatis. Et ita de aliis.

Vel breviter dicitur quod tunc est ens per reductionem in genere quando ipsum non est illud genus formaliter vel essentialiter, sed est principium vel effectus. Et sic loquendo omnis substantia est in quolibet novem generum per reductionem, eo quod quaelibet substantia est principium alicuius rei cuiuscumque generis accidentis, et e contra quodlibet <f. 83v> novem generum accidentis foret per reductionem in genere substantiae. Et sic non repugnat secundum diversas rationes idem esse in diversis generibus. Deus enim est principium substantiae sicut et punctus quantitatis continuae, et instans temporis et unitas quantitatis discretae; et sic sunt per reductionem in illis generibus. In quolibet enim praedicamento putatur esse principium simplicissimum eiusdem praedicamenti, iuxta illud Aristotelis in X *Metaphysicae*: “In omni genere est unum principium quod est metrum et mensura omnium aliorum”. Ut primum et simplicissimum in genere substantiae est Deus; primum principium de praedicamento quantitatis est gradus; in genere quantitatis unitas, quae est simplicior puncto, quia punctus sit unitas

positionem habens, secundum auctores; primum principium in genere relationis est dependentia a prima causa; in praedicamento actionis contemplatio intelligentiae; in praedicamento passionis receptio materiae primae; in praedicamento ubi situs (citus *ms.*, *et sic infra*) praesentis (*lectio valde dubia*); in praedicamento quando quando indivisibile; primum principium positionis est situs caeli; et primum principium habitus est habere Dei.

Dicitur autem terminus esse per reductionem in genere logico quando supremum genus est solum in obliquo praedicabile de eodem, correspondentem ad modos essendi rerum in genere reali.

Alii tamen modi essendi in praedicamento sunt impertinentes proposito, ut modus essendi in praedicamento sicut in subiecto, quo modo omnia accidentia sunt in praedicamento substantiae; vel modus essendi in praedicamento tamquam per se termino seu fundamento, ut modus dicitur esse in tribus praedicamentis, in quantitate, qualitate et ubi.

Sciendum tamen quod aliquando, licet aequivoce, dicitur res esse in praedicamento vocali vel logico, vocando “praedicamentum logicum” quod est signum vel intentio, propter hoc quod de pronomine demonstrativo significante rem illam praedicatur genus logicum quod est supremum illius coordinationis. Et e contra signum dicitur esse in praedicamento reali vel metaphysico; et hoc dupliciter: vel per se, eo quod ipsum est ens illius generis, vel pro suo significato, videlicet quia significat ens illius generis. Et patet quod dupliciter potest terminus dici in praedicamento logico: vel per se et improprie, videlicet quando de pronomine significante ipsum vere praedicatur supremum illius coordinationis. Et isto modo omnis intentio vel vox quae est qualitas est in genere logico qualitatis; immo, illa intentio, qualitas, sicut significat se ipsam in significando omnem qualitatem, ita conceditur quod est in se ipsa tamquam in signo - aliter enim nulla res distincta contra signum foret in genere logico. Sed secundo modo et proprie est terminus in <f. 84r> praedicamento logico quando de ipso supponente personaliter vere et affirmative et non identifice, vel non convertibiliter, praedicatur huiusmodi genus logicum. Et isto modo ista intentio, homo, est in genere logico substantiae, quia haec est praedicatio vera ‘homo est substantia’.

Et patet solutio ad commune argumentum factum ad probandum idem esse superius ad se ipsum. Nam haec intentio, qualitas, est genus et per se superius ad omne quod est per se in genere qualitatis; sed ipsamet intentio est per se in illo genere, quia est qualitas; ergo ipsa est genus et superior ad se ipsam. Nam maior est falsa, cum ista intentio, qualitas, non est genus neque superius nisi ad terminos de quibus supponentibus personaliter praedicatur illa intentio tamquam per se superius. Immo, sic dicto ‘haec intentio, qualitas, est qualitas’, quamvis praedicetur genus de suo individuo, non tamen pra-

edicatur idem de se, sed praedicatur hoc praedicatum 'qualitas' de hoc subiecto vel intentione 'ista qualitas'. Res enim secundum quod huiusmodi non est in genere logico tamquam in suo genere, sed tamquam in signo, ut genus hominis non est iste terminus 'animal', sed forma communis a parte rei quae est animalitas. Et sic haec intentio, qualitas, non est per se in genere logico qualitatis, quia tunc foret per se in se ipso. Consequens falsum, cum non sit in se ipso nisi tamquam in signo; et sic per accidens - sicut per accidens, ex impositione significat se ipsam, quamvis inseparabiliter significet se naturaliter.

Et ista sufficiunt pro generali cognitione ac introductione ad specialem cognitionem praedicatorum, quam pars ista huius libri sequenter delucidat - ut patebit.

<De substantia>

Substantia est quae proprie etc. Hic incipit principaliter secunda pars huius tractatus, quae Praedicamenta vocatur, eo quod in illa post generalem determinationem generum in communi tractatur particulariter et divisim de aliquibus eorundem. Et dividitur in sex capitula, in quorum quinque determinat de sex praedicamentis, scilicet de substantia, quantitate, relatione, qualitate, actione et passione, et in sexto ponitur quaedam recapitulatio quo ad alia quattuor genera respectiva.

In primo ergo capitulo determinat de praedicamento substantiae, quod est primum genus. Nam genus substantiae, secundum Philosophum, VII <f .84v> *Metaphysicae*, prius est accidente cognitione, per definitionem, et [hoc] temporaliter. Ad cognoscendum enim quid est de accidente praesupponitur necessario cognitio generis substantiae, eo quod accidens non potest definiri nisi per suum subiectum, a quo habet esse suum; et quia talis discursus non potest esse subitus, sed requiritur tempus certum, ideo prius tempore est genus substantiae cognitum quam accidens definitive. Quis enim cognosceret albedinem, quae est substantiam esse albam, nisi prius cognoscendo substantiam esse? Tractatur ergo primo de praedicamento substantiae quo ad eius essentialia, secundo quo ad eius accidentalia.

Sed primo videndum est quid est praedicamentum substantiae et quae per se continentur in eo. Unde primo notandum quod multiplex est distinctio in modo loquendi de substantia ut est primum genus. Aliqui enim volunt solas substantias compositas ex materia et forma esse per se in genere substantiae, quas Philosophus, V et VII *Metaphysicae*, vocat substantiam primam. Et ista videtur sententia Boethii, Alexandri et Commentatoris, V *Physicorum*, commento 10°. Aliis autem placet solas substantias per se entes, excludendo partialem inexistentiam, esse per se in genere. Et alii dicunt omnem substantiam natam substare accidentibus absolutis esse per se in genere.

Sed pro ista controversia est notandum quod multipliciter solet dici aliquid per se esse. Primo modo excludendo omnem causam sui esse, quomodo solum Deus est per se; et nullum tale est per se in genere. Secundo modo dicitur per se ens excludendo causam materialem; et isto modo intelligentiae sunt per se entes, et iuxta primam viam nullae tales sunt in genere substantiae per se. Tertio modo dicitur aliquid per se ens excludendo accidentalem inhaerentiam; et isto modo omne quod non est accidens aut aggregatum per accidens est per se ens. Inhaerere enim dicit inesse subiective et non cadere (*cedere ms.*) in compositionem cum suo subiecto. Haec enim est universalis differentia inter formam substantialem et formam accidentalem quod substantialis in quantum huiusmodi cadit in compositionem substantialem cum suo subiecto. Sed forma accidentalis in quantum huiusmodi denominat accidentaliter

solum et non est pars substantiae. Ideo dicit Commentator, II *De* <f. 85r> *Anima*, quod forma substantialis advenit enti in potentia et forma accidentalis enti in actu. Isto modo omne per se in genere substantiae est per se ens, quamvis non e contra. Et istos tres modos ponit Lincolniensis, I *Posteriorum*. Quarto modo dicitur per se ens excludendo partialem inexistentiam; et isto modo omnis substantia integra est per se ens et solum talis, iuxta secundam viam, est per se in genere, et hoc primo et principaliter. Aliae tamen substantiae, scilicet materia et forma, quae sunt principia substantiarum materialium et partes quantitativae substantiarum, sive sint minima naturalia sive maiora minimis naturalibus, ut dicit haec via, sunt per se in praedicamento substantiae sicut sunt per se entia. Verumtamen sicut sunt entia secundum partem et non complete per se, sic non sunt primo et principaliter in praedicamento substantiae, sed per se secundo. Sed quinto modo nunc investigando dicitur per se ens quod est per se in genere, ut patet V *Metaphysicae*, commento 10°.

Ulterius notandum quod substantia capitur aliquando large pro cuiuscumque rei quidditate sive essentia, sive fuerit substantia sive accidens. “Natura -inquit Commentator, V *Metaphysicae*- dicitur de illo quod datur ad interrogationem factam per quid de una quaque rerum, et hoc est substantia cuiuslibet rei”. Sic enim vocamus communiter genus cuiuscumque rei per se in genere eius substantiam, sicut dicimus colorem esse de substantia albedinis. Et sic vocant grammatici omne ens substantiam. Et isto modo substantia est analogum et non praedicamentum formaliter. Sed secundo modo dicitur substantia omne ens non alteri inhaerens, ut dicit Avicenna, VIII *Metaphysicae* suae. Et tali modo Deus et differentiae substantiales rerum, quae sunt per se in genere, et veritates necessariae possunt licet analogice vel aequivoce, dici substantiae. Nec isto modo est substantia unum genus. Tertio modo sumitur ‘substantia’ pro quocumque quod est alteri fundamentum, ut superficies albedini, linea curvitati et quantitas aut qualitas relationi. Et isto modo vulgus et theologi vocant divitias hominum substantias eorundem, eo quod subiciuntur hominibus pro necessitatibus corporeis relevandis. Sed nec isto modo est genus univocum. Quarto modo sumitur “substantia” pro omni ente positivo non inhaerente nato substare accidenti absoluto. Et isto modo dividitur substantia ab <f. 85v> Aristotele in materiam, formam et compositum. Et sic loquendo nec veritates necessariae, quae sunt entia rationis et non entia positiva, nec differentiae substantiales sunt substantiae, sed materia et forma, corpus vel intelligentia. Et sic dicitur a quibusdam esse genus. Illud tamen videtur contra sententiam Aristotelis, Boethii et Commentatoris, ut patebit inferius. Ideo quinto sumitur ‘substantia’ pro ente positivo non inhaerente, ex materia et forma composito. Et sic exponunt Aristotelem Commentator, Boethius, Alexander cum aliis antiquis, loqui de substantia prout est praedicamentum.

Diceret Aristoteles compositum esse magis substantiam quam materiam vel formam loquendo de substantia quarto modo. Et sic negaret substantiam univoce, non analogice dici de composito et suis qualitativis principiis. Intelligentias autem diceret Aristoteles esse formas orbium quarum numerus est iuxta numerum orbium ex XII *Metaphysicae*. Et sic essent principia compositorum componentia cum materia coniuncta orbibus non solum ut motrices, sed ut formae intrinsece animantes. Aliter enim non esset caelum dignius musca, ut arguit in summa Commentator, II *De caelo*, commento 61°. Vel secundo diceret intelligentias esse deos quosdam, sicut posuit Plato, intelligentes per substantias proprias et non substantes quantitibus aut qualitibus per se in genere. De anima non videtur Aristoteles certum quid ponere quid post separationem contingit de illa, quia hoc excedit speculationem philosophicam.

Et si contra hanc viam arguitur per hoc quod substantia quae est genus primum dividitur in corporeum et in incorporeum, ut ponit Porphyrius, dicitur quod Porphyrius, loquens secundum opinionem ponentium quantum continuum componi ex non quantis, vocat substantiam corpoream substantiam dimensionatam secundum triplicem dimensionem et substantiam incorpoream vocat substantiam punctualem, linearem vel superficiale, quae quamvis sit composita ex materia et forma, non tamen habet partes secundum triplicem dimensionem extensa. Nec hoc est inconveniens, cum Porphyrius fuit in opinione platonius. Plato vero fertur compositionem continui ex non quantis <f. 86r> verisimiliter possuisse (potuisse *ms.*).

Sed quia ista opinio modernis logicis non placet multum, ideo sexto dicitur substantiam significare omne ens positivum non inhaerens, quod natum est per se esse et substare accidentibus absolutis. Et loquor de per se esse excludendo partialem inexistenciam qualitativam et essentialem; sic quod omnis substantia et sola talis sit per se in genere cui non est essentialis componere cum alio qualitative. Ita quod nulla materia prima nec forma materialis, de quorum essentia est componere cum alio qualitative, est sic per se in genere. Nam materia prima si non componeret non esset materia, nec forma materialis esset nisi informaret. Intelligentiae tamen separatae et formae intellectivae quae prius sunt animae, quarum essentia non dependet a materia, et quaecumque substantia corporea quae nata est secundum se vel secundum speciem per se esse est in genere.

Sic ergo patet quomodo debet sumi substantia quando est praedicamentum et quae sunt per se in praedicamento substantia.

Substantiam ergo quinto modo vel sexto modo sumptam dividit Aristoteles in substantiam primam et substantiam secundam (id est: in substantiam singularem et in substantiam communem, quae est de quidditate primae substantiae). Et primo definit substantiam singularem, dicens quod substantia

prima est quae proprie et principaliter et maxime dicitur, quae neque de subiecto dicitur neque in subiecto est. Quod exponunt quidam de terminis substantialibus singularibus, qui proprie sine connotatione accidentium sunt signa substantiarum; et principaliter significata per huiusmodi signa sunt entia et maxime limitate, cum specialiter significant huiusmodi signa sua significata.

Intellige sic realiter: substantia prima (id est: substantia singularis) est quae proprie, eo quod non inhaerens, et principaliter, eo quod per se et principaliter subsistit accidentibus, et maxime dicitur, quia maxime subsistit accidentibus; ut homo singularis et bos singularis. Licet enim accidentia subsistent quibusdam accidentibus, hoc tamen non est nisi secundarie et per accidens, in quantum subieciuntur in substantiis singularibus; licet etiam substantiae secundae subsistent accidentibus, non tamen formaliter et immediate subsistant accidentibus absolutis. <f. 86v> Ideo primae substantiae proprie substare dicuntur, quia non inhaerent, et principaliter, quia non in virtute alterius prius subieciuntis, et maxime, quia substant omnibus generibus accidentium recipiendo eorum formales denominationes.

Et ideo dicunt alii quod dicit “proprie” ad differentiam accidentium in concreto, quae substant, licet non proprie, ut album dicitur substare dulcedini; et dicit “principaliter” ad differentiam accidentium in abstracto, quae non substant principaliter; et dicit “maxime” ad differentiam secundarum substantiarum, quae licet subsistent accidentibus, non tamen maxime, sicut faciunt primae.

Quarto dicitur quod dicit “proprie” ad differentiam accidentium, quae non proprie substant; et dicit “principaliter” ad differentiam secundarum substantiarum, quae non substant principaliter; et dicit “maxime proprie” ad differentiam utriusque, scilicet tam accidentium quam secundarum substantiarum, quae non substant principaliter.

Quinto dicitur quod dicit “proprie” quia primae substantiae proprie substant; et dicit “principaliter” quia primae substantiae magis substant quam secundae; et dicit “maxime proprie” quia primae substantiae omnibus substant.

Et sexto dicitur quod dicit “proprie” propter accidentia, quae non proprie substant, sed subieciuntur; et dicit “principaliter” propter aggregata per accidens, quae non substant, ut plurimum, principaliter, sed solum ratione partis; et dicit “maxime proprie” propter substantias secundas, quae licet suscipiant praedicationes secundum habitudinem, non tamen suscipiunt praedicationes formales accidentium absolutorum - ut patebit posterius.

Omnes istae glossae in aliquo conveniunt; secunda tamen in ordine et ultima videntur mihi probabiliore et convenientiore quam ceterae, de quibus plenius patebit in solutionibus dubiorum.

Sed septima est expositio metaphysica et altior ad intelligendum quam praenominatae. Pro quo notandum quod secundum graecos hoc nomen “substantia” tripliciter sumitur. Primo modo dicit potentiam ex qua res per se est existens; et illa vocatur in corporibus materia, corpus vel subiectum. Et secundum aliquos opinantes omnia praeter primam causam [videntur] componi modo suo ex materia et forma. In rebus abstractis a materia, cuiusmodi sunt intelligentiae, vocatur substantia isto modo <f. 87r> communi nomine potentia, vel intellectus potentialis, aut materia spiritualis. Sic enim dicit Avicbron quod intelligentia componitur ex materia spirituali et forma (id est: ex actu et potentia). Et est sententia satis bona, cum claudit repugnantiam substantiam causari nisi insit sibi secundum esse intelligibile potentia ad existendum. Et ista potentia essendi, ut actuatur existentia, vocatur intelligentia vel alia res quaecumque nominanda secundum diversitatem actus et potentia. Et apud graecos ‘hypostasis’, apud latinos ‘subsistens’. Secundo modo sumitur substantia pro actu essendi vel forma qua res absolute est illud quod est; et illa vocatur apud graecos ‘usiasis’, apud latinos ‘subsistentia’. Et tertio modo sumitur substantia pro unione illorum ad invicem, quam graeci vocant ‘usyon’ et latini ‘superstans’. Et solum tale creditur per se esse in genere, ad modum loquendi Aristotelis. Et ista patent in sententia VIII *Metaphysicae*, commento 23°.

Et patet ex istis quod prima ratio substantiae est substare potentiae et actui sicut suis intrinsicis fundamentis, et non substare accidenti absoluto, cum hoc sit passio posterior substantiae, quae congrue lingua latina diceretur “superstantia”, quae sola, secundum Aristotelem, per se foret in praedicamento substantiae. Principia autem eius, ut actus et potentia, sunt per reductionem in hoc genere. Et secundum istam sententiam dicit Aristoteles quod substantia prima proprie est, cum sit res absoluta non inhaerens sicut accidentia, quorum esse est inhaerere. Et principaliter dicitur in comparatione ad actum et potentiam (id est: ad materiam et formam), quae non sunt completa entia nec principaliter, cum sint propter compositum, et maxime dicitur in comparatione ad haec tria. Unde et maxime dicitur esse in notitia hominum, cum nemo cognoscit accidens nisi praecognoscendo substantiam; nec aliquis cognoscit potentiam vel actum (id est: materiam vel formam) nisi praecognoscendo per se existens et transmutationem de uno esse ad aliud.

Consequenter describit substantiam secundam, quam aliqui vocant terminum communem substantialem, sed nos dicimus eam formam communem, dicens “substantiae secundae dicuntur species <f. 87v> quibus substantiae primae insunt tamquam partes subiectivae aut per se inferiora, ut aliquis homo est in specie hominis et genus hominis est animal”. Hae ergo species et talium specierum genera, cuiusmodi sunt forma communis, quae est humanitas, quam Porphyrius vocat “hominem comunem”, et

forma generalis, quae est animalitas, sunt substantiae secundae. Sicut enim omnes homines in hoc conveniunt quod sunt homines, sic est eadem natura humana et eadem humana species aut eadem humanitas in communi quod idem est in omnibus illis; et illa vocatur 'substantia secunda'. Non enim est talis convenientia specifica fundata solum in termino communi vel in eius praedicabilitate, cum nullo existente tali termino non [eo] minus foret talis convenientia in natura humana; non ergo species humana est terminus vel intentio. Tunc sicut improprie dicitur quod Sortes et Plato sunt illius termini 'homo', sic aequè improprie diceretur quod sunt istius 'speciei humanae'; immo species humana in uno loco foret nihil, quia aggregatum per accidens, et in alio loco foret species humana aliquid. Et quotlibet essent species humanae, cum quilibet homo posset causare de novo vel formare quotlibet species humanas albas vel nigras, parvas vel magnas, vel quomodolibet aliter accidentatas. Et sic de multis aliis ridiculis et verbalibus inconvenientiis, quae sequuntur ex opinione ponentium universalia solum esse terminos aut intentiones in anima; ut quod species humana in casu est multum imperfectior specie asinina. Et sic nullus homo est in specie, vel quilibet homo est per se in diversis speciebus. Stat enim viginti vel quotlibet esse species humanas quarum quaelibet differt specificè ab alia. Patent istae conclusiones de istis terminis specificis 'homo' et 'homo' etc., quorum unus fuerit scriptus incaustro nigro et alius rubeo, tertius auro, quartus argento, et sic de ceteris coloribus vel metallis. Quilibet enim talis terminus foret species humana una alia perfectior, et quilibet homo foret in qualibet tali specie, vel aliter non foret in aliqua. Et sic de multis aliis. Nec est calumniandum, etsi verbaliter instetur contra opinionem <f. 88r> verbalem.

Dicendum est ergo substantias secundas esse rationes formales et essentielles quasdam, in quibus individuales substantiae specificè vel generaliter conveniunt, ut in ratione humanitatis communis, quae est species, vel natura humana, conveniunt omnes homines et <in> rationem animalitatis, quae est genus, conveniunt omnia animalia - et ita de aliis. Et istam sententiam invenies apud omnes antiquos, ut apud Albertum, Aegidium, Lincolnensem, Augustinum et Avicennam, et alios quoscumque novos, praeter paucos recentes sectatores, (*lectio valde dubia*) qui venerant quos non coluerunt patres eorum.

Sed circa haec dicta dubitatur primo utrum haec divisio substantiae in primam et secundam sit divisio vocis in significationes aut generis in species aut subiecti in accidentia. Primum non potest dari, eo quod divisum non est vox, ut ponitur; nec secundum dabitur, eo quod neutra pars dividendum est formaliter species; nec tertium est dandum, eo quod neutrum dividendum est accidens.

Sed pro isto dicitur quod ista divisio non edst generis in species, nec vocis in significationes, nec subiecti in accidentia. Reducitur tamen ad divisionem subiecti in accidentia.

Pro quo notandum quod res aliquando concipitur absolute, sine connotatione universalitatis aut particularitatis, et vocatur, ut sic, res primae intentionis; et terminus illam sine connotatione tali significans vocatur terminus primae intentionis (id est: primo mentis conceptui correspondens), ut ‘homo’, ‘lignum’, ‘lapis’ et huiusmodi. Sed secundo possunt res sumi aliquando, vel concipi, cum connotatione universalitatis aut particularitatis, ut sub ratione qua sunt individua, vel (ut *ms.*) species, sive differentiae, vel accidentia communia vel accidentia propria; et vocatur, ut sic, terminus significans talem rem cum huiusmodi connotatione terminus secundae intentionis, eo quod post intellectum absolutum de re concipitur res quasi secundo sub ratione qua est individuum aut commune. Et vocatur universalitas aut particularitas res secundae intentionis, <f. 88v> quae se habent per modum accidentis respectu naturae absolutae conceptae, eo quod sunt extra essentiam naturae sic conceptae - quamvis de facto non sint accidentia, sed proprietates analogae circumeuntes omnia genera, competentes tam substantiae quam accidenti.

Dicitur ergo quod Aristoteles in proposito dividit absolute substantiam conceptam in res secundae intentionis, scilicet in singularitatem, quae inest primae substantiae, et universalitatem, quae inest secundae substantiae. Est autem substantia sic divisa formaliter universalis, sed in praedicatione secundum essentiam singulare. Inest tamen sibi tam singularitas quam universalitas, tamen diversimode.

Ulterius secundo dubitatur si hoc genus, substantia, sit commune tam substantiae corporeae quam incorporeae et utrum illud genus sit simplex vel compositum.

Ad istud dicitur quod ipsum est tam simplex quam compositum, cum ipsum sit omnis intelligentia simplex et omnis substantia corporea contenta sub illo.

Sed pro materia dubii est notandum quod aliqua est simplicitas excludens quamcumque compositionem quantitativam, qualitativam, quidditativam et potentiam cadendi in compositione. Et ista competit soli Deo; ipse enim nullo modo istorum modorum componitur nec componit. Sed alia est simplicitas excludendo compositione qualitativam et quantitativam et potentiam cadendi in tali compositione, quae competit intelligentiis. Illae componuntur ex genere et differentia, cum possunt definiri et habent communem quidditatem generalem vel specificam. Et quamvis secundum aliquos metaphysice loquentes componantur ex potentia et actu, non tamen componuntur ex materia et forma sensibilibus, nec concurrunt in constitutione compositi cum materia, cum omnino separentur a materia secundum esse et secundum intelligere. Sed in tertio gradu est simplicitas excludens compositionem quantitativam et

qualitativam, sed non potentiam cadendi in compositione. Et isto modo anima intellectiva est simplex, et formae universales, quae licet non cadant in compositionem quantitativam aut qualitativam, cadunt tamen in compositionem quidditativam. In quarto est simplicitas excludens compositionem qualitativam, sed non <f. 89r> potentiam cadendi in compositione qualitativa. Et isto modo forma et materia sunt simplices. Quinto est simplicitas excludens compositionem ex partibus quantitativis dissimilium specierum. Et isto modo elementa in suis spheris sunt simplicia. In sexto gradu est simplicitas excludens compositionem ex partibus sensibilibus diversarum specierum, cuiusmodi sunt mixta omogenea, quae licet habent partes quantitativas disparum specierum, omnes tamen partes sensibiles sunt eiusdem speciei, ut caro et similia.

Secundo notandum quod aliquod est compositum quidditative, ut quodlibet definibile habens rationes essentielles ex quibus integratur eius quidditas. Aliud est compositum qualitative, cuiusmodi est compositum ex materia et forma. Sed tertio est aliquod compositum quantitative, ut talia quae habent partes extra partes. Dicitur ergo quod genus supremum substantiae est simplex tertio gradu, et tamen componitur quodammodo quidditative, cum habeat proprietates quasdam essentielles superadditas transcendentem per quas distinguitur ab aliis generibus; tamen non componitur quantitative, sicut nec anima, nec qualitative. Ipsum tamen est pars cuiuscumque per se sui inferioris in cuius definitione cadit. Immo, cum omne universale a parte rei sit forma et natura indivisibilis, dicendum est nullum tale componi ex partibus quantitativis. Non enim est imaginandum quod species humana, quamvis dicitur ‘homo communis’, sit unus homo grossus, compositus ex materia et forma, extensus per situm; sed est ipsa humanitas quae realiter est mole indivisibilis et ad omnem punctum cuiuslibet hominis, per quam (quem *ms.*) quilibet homo formaliter convenit in specie cum alio homine. Et ita de aliis universalibus est dicendum.

Sed tertio dubitatur si sit dare substantiam primam in communi. Non enim videtur iste terminus ‘substantia prima’ significare determinate hanc singularem substantiam, demonstrando Robertum. Tunc enim negandum esset quod quaelibet substantia prima est substantia prima. Videtur ergo quod iste terminus “substantia” significat substantiam primam in communi. Et confirmatur per hoc quod omnes substantiae primae in hoc conveniunt quod sunt substantiae primae, ergo est dare rationem communem omni substantiae primae per quam sunt communiter <f. 89v> huiusmodi; et ista ratio, iuxta opinionem, foret substantia prima in communi. Sic enim concederetur quod necessarium est aliquam substantiam primam esse, et tamen nec istam nec istam etc.

Ad istud dicitur dupliciter. Quidam enim concedunt deductum tamquam sequens ex opinione, et sic dicunt esse individuum commune et singulare commune, et sic de aliis. Et illud commune vocatur, ut dicitur ab antiquis, ‘singulare vagum’.

Sed alia est via quae negat talia esse communia, eo quod singulare commune, si foret, esset aequae commune sicut transcendens, et sic non distingueretur a transcendente, nec distingueretur homo singularis in communi a specie hominis in communi, eo quod forent aequalis ambitus in praedicando.

Ideo quantum ad motiva in contrarium respondendum est primo quantum ad illud quod tangitur de primario significato istius termini ‘substantia prima’. Ubi notandum quod iste terminus “substantia prima” est terminus discretus a limitatione intellectus. Est enim aliquis terminus discretus a demonstratione, ut pronomina demonstrativa; et aliquis est discretus ab impositione, ut nomen proprium, quod uni soli appropriate convenit seu imponitur; et tertio modo est aliquis terminus discretus ab intellectus limitatione, ut tales termini ‘individuum’, ‘singulare’, ‘persona’ et termini aggregati ex signis particulare et nominibus appellativis, ut ‘aliquis homo’, ‘quoddam animal’, et ita de aliis terminis. Termini enim particulares ad hoc adduntur nominibus ut limitent ipsa nomina ad res particulares, quia aliter superfluerent. Et in isto tertio gradu est iste terminus ‘substantia prima’ terminus discretus.

Et tunc dicitur ulterius quod sicut pronomen sine demonstratione nihil significat praeter quod significat naturaliter, et tamen sine demonstratione modum habet significandi discrete et ex demonstratione habet significatum quod discrete significat, ita iste terminus ‘substantia prima’ sine limitatione intellectus nihil primarie significat, quamvis sine omni tali limitatione significet discrete; et ita ex ipsa limitatione intellectus unum significat principaliter hanc substantiam et nunc illam principaliter. Sed differunt a pronomine, cum pronomen ex demonstratione significat sine connotatione rationis in genere, et ideo dicitur significare substantiam meram; isti autem termini significant rem <f. 90r> connotando proprietatem eius in genere et ordinabilitatem eius in specie vel in genere.

Differunt etiam a nomine proprio, quoniam nomina propria fuerunt appropriate imposita ad significandum individua determinata et non quaecumque homo voluerit quandocumque et quotienscumque per intellectu limitare; sed haec nomina fuerunt imposita ad significandum discrete vel in particulari quodcumque homo voluerit sibi ipsi in tali genere vel specie limitare. Et propter hoc ad differentiam aliorum discretorum dicuntur termini particulares.

Et sic non est dare substantiam primam in communi plus quam istum Robertum in communi. Dictum est tamen prius quomodo nomina propria possunt quandoque sumi appellative, ut loquitur vulgus communiter. Et ita errando contra naturam impositionis terminorum concipit vulgus frequenter ta-

lia nomina, “aliquis homo”, “quoddam animal” et ita de aliis, incontracte. Et tunc vel solum correspondet talibus conceptibus modus significandi discretus sine aliquo principaliter apprehenso, vel significant convertibiliter cum huiusmodi nominibus ‘homo masculus’ et ‘animal’, significando hominem masculum in communi et animal in communi. Et patet quod non intelligendo tales terminos incontracte non sunt distribuibiles plus quam pronomina, cum omne distributum, secundum Philosophum, dicitur ad minimum de tribus, ex I *Caeli et mundi*. Et sic remanerent tales orationes imperfectae “quaelibet substantia prima est substantia prima” sicut et tales “omne hoc est hoc”.

Scio tamen quod ista sententia est communi scholae incognita et dissueta, tum quia antiqua via de universalibus, ut plurimum, est relicta, tum etiam quia vulgus talibus nominibus sicut propriis nominibus utitur communiter incontracte. Et ex ista solutione claret etiam apud theologos quomodo non est dare personalitatem communem tribus personis in divinis. Conformis enim difficultas est utrobique.

Et per idem ad confirmationem dicitur quod sicut non est concedendum omnia illa convenire in hoc quod quodlibet illorum est hoc, demonstrando se ipsum, sic non est concedendum omnes substantias primas convenire in hoc quod quaelibet illarum est substantia prima. † Immo, cum dispersit ratio individualis istius individui et illius, quodcumque demonstratur, ita et aequivoce est hoc individuum ab isto. † Et sic tales termini, ut communiter, sunt aequivoci. Et si arguitur quod tantum individuum est individuum, ergo omne individuum est individuum, dicitur quod idem est ac si arguitur: tantum hoc est hoc, ergo omne hoc est hoc. Ubi in utroque est consequens imperfectum.

Sed aliter dicunt alii quod est dare aggregatum ex omnibus substantiis primis praesentibus <f. 90v> praeteritis et futuris. Et illud aggregatum primo significatur per hoc nomen ‘substantia prima’; et confuse significat illud nomen quamlibet eius partem numeralem; et sic potest iste terminus distribui pro partibus illius aggregati in talibus propositionibus “quaelibet substantia prima est substantia prima”. Et tunc praedicatum supponit confuse tantum et non simpliciter pro communi nec pro tali aggregato. Sed iuxta istam viam concedendum foret quod tantum substantia prima est substantia prima, et quaelibet substantia prima est substantia prima. Potest tamen in talibus esse suppositio simplec tam a parte praedicati quam a parte subiecti, ita quod sit sensus: quodlibet tale aggregatum ex huiusmodi substantiis primis est tale aggregatum, etc. Vel secundo potest esse suppositio personalis a parte utriusque extremi, ita quod sit suppositio pro partibus illius aggregati; et sic adhuc est propositio vera, scilicet “quaelibet substantia prima est substantia prima”. Et praedicatum in proposito supponit suppositione confusa tantum personali et non suppositione confusa tantum et simplici, quia tunc esset dare substantiam primam in communi quae esset singula substantia prima. Et isto modo iste terminus ‘substantia

prima' erit dictio univoca, significans omnem substantiam primam sub ea ratione qua est pars illius aggregati.

Et si arguitur quod contingit aliquas esse substantias primas quae (qua *ms.*) erunt vel fuerunt vel sunt, et per consequens haec dictio 'substantia prima' non significat primo aggregatum ex istis praeteritis et futuris, dicit haec via quod argumentum non valet. Concedit tamen quod contingit illum terminum habere unum novum primum significatum sicut contingit aliud esse aggregatum tale - quamvis alii dicant ipsum non significare primarie hoc aggregatum ex istis, sed aggregatum in communi ex huiusmodi praeteritis et futuris.

Et si instes secundo ex hoc quod aggregatum non est substantia prima, dicunt hoc negando. Possunt enim talia nomina supponere collective. Et sic concedendum foret quod omnes homines forent unus homo aggregatus. Nec ex hoc sequitur aliquam personam esse aggregatam ex tribus personis in divinis, quia nihil aggregat ad aliud nisi exadat essentiam distinctam ab esse alterius. Et sic, cum una persona divina non aggregat aliquam <f. 91r> essentiam distinctam ab esse alterius, non dicitur ex illis fieri persona aggregata.

Tertio contingit in datis propositionibus fieri mixtim suppositio simplex et personalis respectu diversorum extremorum; et tunc est quaelibet talis propositio falsa. Tunc enim significaret quod quaelibet pars aggregati talis foret tale aggregatum, vel quodlibet (quolibet *ms.*) tale aggregatum foret pars talis aggregati - et utriusque sensus est falsus. Et patet solutio ad dubium tertium.

Quarto dubitatur si substantia secunda sit substantia prima. Et videtur quod sic, eo quod aliter non praedicaretur substantia secunda de substantia prima in praedicatione reali nisi haec foret illa. Consequens falsum.

Et quod non videtur. Nam tunc secundae substantiae maxime substarent accidentibus, eo quod sicut omnia singularia eiusdem speciei sunt illa species, ita videtur quod omnia accidentia talium singularium forent in tali specie subiective; et sic ipsa substarent accidentibus omnium suorum individuorum.

Item, unumquodque plus ex hoc habet rationem individui quo plus participat de circumstantiis individuantes; sed species humana habet plures circumstantias individuantes quam aliquod eius individuum; ergo plus habet rationem individui.

Item, sequitur, ut videtur: 'Sortes currit; et Sortes est humanitas; ergo humanitas currit'. Et per idem sequitur quod illa sedet, et quod est alba, et nigra, et ita de aliis. Immo quod homo est asinus, quia

homo est animal commune, quo est asinus; et sic album foret nigrum, sedens stans. Immo quidlibet foret quidlibet, et sic de multis aliis inconvenientibus.

Nec potest dici quod tales secundae substantiae non substant accidentibus absolutis, quia tunc non essent substantiae, eo quod de ratione substantiae est per se stare et substare accidentibus absolutis. Sicut ergo illa prius sunt, cum sint aeterna, quam singularia corruptibilia, ita et prius substant. Consequens contra textum.

Quarto videtur quod huiusmodi universalia non sunt substantiae, cum Aristoteles videtur hoc ab intento probare VII *Metaphysicae*, commento 44° et multis aliis locis, et X, commento 6° ubi dicit Commentator quod impossibile est quod aliquid eorum quae sunt communia pluribus sit substantia, nisi secundum quod est in anima tantum. Et videtur intelligi de intentione in anima potissime, cum dicatur I *De anima*, commento 8°, quod universale nihil est aut est posterius singulari et quod intellectus facit universalitatem in rebus; immo et III *De anima* <f. 91v>, commento 18°, dicit Commentator quod universalia non habent esse extra animam. Ex quibus videtur quod non sit intentionis Philosophi dicere quod universalia sint res extra animam.

Respondendo ergo ad illud, notandum est pro primo quod substare accidenti est dupliciter. Uno modo quo ad essentialem dependentiam, recipiendo praedicationem remotam huiusmodi accidentium, sed non formalem. Et isto modo universalia substant accidentibus, et omnibus quibus substant sua individua. Sed alio modo substare aliquid accidenti recipiendo formalem eius denominationem in concreto. Et isto modo universalia, quamvis quibusdam accidentibus substent, quae non proprie dicunt vel implicent suum subiectum primum et immediatum esse per se mobile, non tamen substant accidentibus absolutis in concreto secundum praedicationem formalem.

Duplex enim est praedicatio accidentis de subiecto. Una quae est formalis, quando praedicatum est forma accidentaliter denominans subiectum huiusmodi formaliter in concreto, sicut hic “homo est albus”, “homo movetur”, et breviter quaecumque in signis praedicatum est verbum, adiectivum aut nomen adiectivum substantivatum per subiectum. Sed alia est praedicatio secundum essentiam, quando praedicatur forma talis de subiecto cui non inest primo et formaliter, nec denominat nisi denominatione remota; sicut si dicatur “species humana est albus”, quia est suppositum cui inest albedo. Accidentia ergo quae implicent, eo ipso quo insunt, suum subiectum primum esse per se mobile, sive localiter sive alteratione sive augmentatione, vel quae non possunt inexistere sine hoc quod subiectum huiusmodi moveatur per se, talia in quantum accidentia non praedicantur formaliter de universalibus. Ut non conceditur quod humanitas currit, quamvis homo, qui est humanitas, currat, nec species humana

est alba, quamvis sit album, nec sedet, quamvis species humana sit sedens, nec dictatur, nec proprie et circumscriptive locatur, nec est per se mobilis; movetur tamen per accidens, sicut anima, et est in loco per accidens, sed nec ridet nec est risibilis, quamvis sit risibile. Sed alia accidentia de genere respectivorum, quae possunt inexistere sine motu possunt inesse denominative universalibus; ut conceditur quod homo communis est alicubi, et causat sua supposita, et diligendus est, et ita de aliis ex quibus non sequitur quod subiectum sit per se mobile. Et ideo illa accidentia dicuntur praedicari secundum habitudinem.

Et patet quod quantum ad rationem quod non sequitur, etsi omnia accidentia singularia alicuius speciei sint in illa specie <f. 92r> subiective quo ad dependentiam et subiectationem remotam, quod huiusmodi species propter hoc maxime substat. Nam tripliciter, ad modum loquendi Philosophi, intelligitur aliquid substare. Maxime vel quia immediate et primo recipit formales denominationes tam accidentium absolutorum quam respectivorum; et isto modo substantiae primae maxime substant. Secundo quia est infimum in ordine praedicandi essentiali et directe, non habens ipso inferius de quo possit tamquam per se superius praedicari; et isto modo, quamvis species per se supponitur generi suo, substantia tamen prima est maxime supposita, cum sit infima, et sic maxime substat. Sed tertio modo dicitur aliquid maxime substare quia omni generi praedicabilium subici potest, scilicet essentiali, et accidentali formali et secundum habitudinem, in quid vel in quale, et ita de aliis; et sic etiam substantia prima maxime substat, eo quod omnibus substat. De substantiis autem universalibus una magis substat quam alia. Vel quia propinquius recipit denominationes accidentium, ut humanitas, eo quod est suppositum album, propinquius recipit hanc denominationem, album, quam animalitas; vel secundo, quia est inferior in ordine praedicandi et propinquior primae substantiae vel quia non tot genera praedicabilium recipit alia. Et sic genera et species de praedicamento substantiae dicuntur digne substantiae secundae in comparatione ad genera accidentium. Et ista multum faciunt ad cognitionem sequentium in textu Aristotelis; et propter ista fortassis dicit Aristoteles quod substantia prima proprie et principaliter et maxime dicitur. Et patet quod prima ratio non procedit.

Ad secundum dicitur quod consequentia non valet de forma. Pro cuius materia notandum quod habere multis modis dicitur. Est enim habere secundum causationem, sicut causa habet suum causatum; et habere secundum continentiam, sicut continens habet contentum; et ita de multis aliis modis de quibus erit sermo postea. Et etiam habere secundum inhaerentiam, sicut subiectum habet suum accidens - et talis potest esse secundum inhaerentiam formalem et immediatam, sicut subiectum primum et immediatum accidentis habet illud accidens. Et sic dicitur III *Physicorum* quod impossibile est habens mo-

tum non moveri; idem enim est sic habere motum et moveri. Et ideo dicit auctor *Sex principiorum* quod idem est habere longitudinem et esse longum. Et isto modo universale non habet aliquam circumstantiam formaliter individuante. Immo Deus, quamvis habeat omnia quae sunt in mundo, tamen non <f. 92v> habet isto modo quantitatem vel albedinem. Alia tamen est habitio secundum inhaerentiam remotam. Et isto modo, sicut primo modo, universale habet omnia accidentia sui individui. Et sic conceditur quod species humana habet omnem circumstantiam individuante quam habet aliquod eius singulare, et non solum quia causat, sed etiam quia quaelibet talis circumstantia, quae inest speciei inhaerentia remota, est in suo individuo. Et sic est minor argumenti vera.

Ad tertium dicitur quod non sequitur ‘Sortes currit; et Sortes est haec humanitas; ergo haec humanitas currit’, sicut non sequitur, ut dicit Commentator, 21^o septimi *Metaphysicae*, in fine, ‘homo habet quidditatem; et quidditas est homo; ergo quidditas habet quidditatem’. “Est enim - inquit - quidditas hominis homo uno modo, et non est homo alio modo (id est: homo qui est forma hominis), et non est homo qui est aggregatus ex materia et forma”. Et sic patet quod in talibus mutatur suppositio. Intellegit enim Commentator, ut credo, per ‘formam hominis’ humanitatem quae est quasi homo absolute conceptus, sine circumstantiis individuantibus, et per ‘hominem aggregatum ex materia et forma’ intellegit hominem concrete sub ratione qua accidentibus et partibus quantitativis est subiectus. Et certum est quod, ut sic, non est humanitas, quamvis, ut sic, currit et est albus. Et sic non sequitur ‘Sortes est animal commune; et illud est asinus; ergo Sortes est asinus’, cum idem sit ac si argueretur ‘Sortes est animal; et animal est asinus; ergo Sortes est asinus’. Nec sequitur quod album sit nigrum vel quidlibet sit quidlibet, et ita de aliis. Conceditur tamen quod mortale est immortale, nec ex hoc sequitur quod mortale est non mortale. Sed sequitur quod mortale sit res non mortalis. Unde quando sunt huiusmodi denominationes oppositae circa idem, quarum una praedicatur de re communi formaliter et alia de re singulari formaliter, tunc concedenda est praedicatio secundum essentiam unius de reliquo; ut, quia homo singularis est corruptibilis et homo communis incorruptibilis, concedi debet quod corruptibile est incorruptibile. Sed non sequitur quod album sit nigrum, cum res communis nec est alba nec nigra.

Ulterius, quo ad aliud verbum additum, numquid universalis sint prius entia quam singularia et per consequens prius substant, conceditur consequentia. Nam prius substant quo ad consequentiam, sed non immediatius substant quo ad receptionem praedicationis formalis - ut dictum est.

Sed ultimo <f. 93r> pro textibus allegatis notandum quod Aristoteles, VII *Metaphysicae*, I *De anima*, I *Ethicorum*, I *Posteriorum* et multis aliis locis capit Platonem ponere universalis esse formaliter substantias primas et singulares a materia separatas, quas vocavit ideas, et tamen cum hoc esse

de essentia individuorum - quod non est sanum dicere. Et patet quod Aristoteles sic intelligit Platonem VII *Metaphysicae*, t.c. 42, in fine ubi habet textus: “Singularium enim idea, ut dicunt, separabilis est”. Et ita multae auctoritates Aristotelis faciunt tantum quod universalia non sunt formaliter substantiae singulares aut ideae huiusmodi separatae. Nam I *Posteriorum*, capitulo 8°, ponit quod oportet ponere universale quod est unum in multis ad hoc quod sit demonstratio, non autem unum praeter multa.

Ulterius est notandum quod Aristoteles multotiens argumentando contra Platonem et alios antiquos philosophos capit ipsos superficialiter, et non ad sensum quem posuerunt. Et ideo reprehendi eum Eustratius, I *Ethicorum*, ubi declarat quomodo rationes Aristotelis non obviant Platoni de bono communi. Et ideo dicit sanctus Thomas, III *Metaphysicae*, super commento 15°, quod Aristoteles frequenter arguit contra verba talium et non contra sensum, et rationem ponit, quia huiusmodi philosophi posuerunt suas sententias, ad modum poetarum, sub verbis obscuris; ideo non constabat Aristoteli expresse de sensu eorum propter obscuritatem in modo loquendi eorum. Et propter hoc excusat se Aristoteles a studiosa intentione (inteno^e) circa eorum dicta, III *Metaphysicae*, in textu eiusdem commenti 3.

Tertio, pro ulteriori solutione textuum notandum quod non plus sequitur ex textibus allegatis universalia esse intentiones in anima quam sequitur tempus esse intentionem in anima, cum Aristoteles dicat IV *Physicorum*, commento 131°, quod tempus non habet esse extra animam. Et III *De anima* commento 38°, dicit: “Sensibile non est in actu nisi quando sensus est in actu”. Dicit ergo unus magnus logicus quod sicut sensibile formaliter intellectum dicit pria, scilicet naturam substratam dispositioni accidentali secundum quam ipsa potest sentiri, et dictam dispositionem et singularitatem - sensus enim non apprehendit nisi singulare, et quia illud posse non venit ad actum nisi per operationem sensus, ideo dicitur quod per apprehensionem sensus fit sensibile in actu (id est: potentia sensibilitatis reducta ad actum) - et correspondenter universale formaliter intellectum dicit tria, scilicet naturam quae est <f. 93v> res primae intentionis, et communicabilitatem multis suppositis, quae est res secundae intentionis, et abstractionem vel intelligibilitatem excludentem propriam et formalem sensibilitatem - nullus enim sensus materialis sufficit comprehendere hominem sub ratione quae est quidditative communicabilis. Sicut ergo per operationem sensus fit sensibile in actu ad sensum expositum, ita per operationem intellectus in communi fit universale in actu, et ita de intelligibili actualiter intellectum. Et tunc res universaliter communicata multis habet esse intelligibile vel abstractionis in anima. Et conformiter tempus dicit durationem mundi et mensuram motus comprehensibilem ab anima, quae comprehensibilitas non est in actu nisi in anima sic actualiter comprehendens et mensurans. Ideo dicit Commentator, IV *Physicorum*, commento allegato: “Tempus -inquit- in actu non erit nisi anima, sicut impotentia vero erit licet

anima non sit”. Vult ergo Commentator in loco allegato quod impossibile est quod aliquod universale sit formaliter substantia prima qualem Aristoteles concipit Platonem ponere ideam separatam. Vel secundo intelligit quod impossibile est quod substantia sit universale in actu secundum quod est commune pluribus, nisi secundum quod habet esse intentionale in anima.

Et conformiter intelliguntur quotquot auctoritates sonantes quod universalia sunt in anima et quod ipsa facit universalitatem in rebus, sicut dicit Commentator I *De anima*, commento 8°. Universalitas enim dicitur communicabilitatem et abstractionem ab individuis, quae fit per intellectum. Intellectus tamen primus facit universalitatem in rebus etsi non esset apprehensio virtutis creatae. Universale autem Platonis, secundum quod concipit eum Aristoteles, non est substantia. Et ideo dicit I *De anima*, ubi prius, quod ipsum nihil est aut, si est posterius est singulari, “quoniam -inquit Commentator- si esset prius rebus sensibilibus esset causa earundem, et sic requireretur ad cognitionem earundem”.

Et conformiter intelligitur dictum Aristotelis I *Posteriorum* capitulo 15°: “Species (id est. ideae) -inquit- gaudeant, quoniam monstra sunt. Et si sunt nihil ad rationem faciunt (id est: nihil faciunt ad definitionem rerum a quibus separantur)”. Ubi Lincolniensis ita scribit: “Formae - inquit - a substantiis separatae, quas posuit Plato genera et species et praedicabilia, sunt sicut prodigia quae format error intellectus, sicut sunt prodigia in natura quae format natura errans, quia licet ideae sint ut rationes rerum increatae ab aeterno in mente <f. 94r> divina, ipsae tamen ideae nihil pertinent ad ratiocinationem in qua praedicatur aliquid de aliquo. Ipsae tamen ideae in se prodigia non sunt, sed cum intellectus vult facere eas praedicabiles de rebus a quibus sunt separatae et divisae, in hac ordinatione prodigia sunt”. Et ita de aliis quot quot fuerint allegata.

Et haec est sententia sancti Thomae VII *Metaphysicae*, expositione textus commenti: “Sciendum est -inquit- ad evidentiam huius capituli quod universale potest accipi dupliciter. Uno modo pro ipsa natura cui intellectus attribuit intentionem universalitatis, et sic universalia ut genera et species substantias rerum significant et praedicantur in quid. Animal enim significat substantiam eius de quo praedicatur; et homo similiter. Alio modo potest accipi universale in quantum est universale (id est: secundum quod natura praedicta subest intentioni universalitatis). Et sic posuerunt Platonicus animal et hominem in sua communitate esse substantias - quod Aristoteles reprehendit in hoc capitulo”.

Alii autem dicunt quod universale potest capi pro aggregato ex natura et intentione secunda quae est universalitas, et illud aggregatum non est substantia; vel potest capi pro natura cui inest illa universalitas, et tunc est substantia, licet non sit in praedicatione formali substantia singularis, quod Plato intendebat.

Eustratius tamen in I *Ethicorum* et Januensis in suo *Catholicon*, parte ultima, ponunt triplex universale, scilicet universale ante rem, quod Plato vocavit ideam; et illud non est nisi ratio quaedam vel exemplar secundum quod est res factibilis a Deo vel ab intelligentia, aut a constellationibus supra caelestibus, ut ponit Lincolniensis I *Posteriorum*. Sed aliud est universale in re, quod est natura communicabilis de qua fit sermo. Et tertium est universale post rem, quod est ratio quaedam formalis quam abstrahit intellectus a rebus invicem convenientibus. Et de illo loquitur Aristoteles, ut dicit Januensis, in I *De anima* cum dicit: “Universale nihil est, aut posterius singulari”.

Albertus autem dicit quod universale de quo fit sermo habet triplex esse, scilicet intelligibile in anima; esse reale in individuis et esse spirituale in lumine supremae intelligentiae.

Et ita concorditer non invenies aliquem antiquum logicum vel philosophum probabilem qui non concordaret in fundamento de positione universalium, quamvis fiat variatio in logica et in modo exprimiendi apud multos. Et sic patet solutio quo ad dubium supra tactum.

Sed dubitatur quinto si substantia secunda sit formaliter substantia. Et videtur quod non, cum omnis substantia secunda sit mobile <f. 94v> indivisibilis et etiam nulla talis substantia secunda componitur ex materia et forma, sequitur quod huiusmodi substantia secunda foret formaliter substantia incorporea; et de multis substantiis secundis est verum quod quaelibet illarum et per se substantia corporea; ergo eadem substantia est formaliter corporea et incorporea. Et per consequens idem est per se in oppositis generibus -quod est impossibile. Minor assumpta principaliter patet de omni specie vel genere corporis. Nam lapis in communi, sicut est per se corpus, ita est per se substantia corporea. Et ita de aliis. Conformiter etiam contingit arguere quod animal in communi sit formaliter sensibile, quia corpus animatum sensibile; et tamen animal commune est formaliter insensibile, quia non potest per se sentire.

Ad oppositum videtur Aristoteles in processu innuens quod substantia prima est magis substantia quam secunda. Et per consequens sequitur quod utraque sit substantia. Similiter, assignata hac proprietate quod commune est omni substantiae, in subiecto non esse, manifestat illam Aristoteles tam de prima substantia quam secunda; quod non faceret congruiter nisi utrumque esset substantia. Non enim videtur quod iste terminus ‘substantia secunda’ sit terminus distrahens. Ergo substantia secunda est substantia.

Pro responsione ad istum dubium et pro intellectu quorundam textuum in quarto dubio adductorum notandum secundum Philosophum et Commentatorem, II *De anima*, commento 4^o, quod proprium est formae, sub ratione qua forma, esse in subiecto (id est: in aliquo substrato eius formali denominationi). Unde loquitur ibi extensius de esse in subiecto quam facit in isto libro, cum dicit in *Antepaedi-*

camentis: “in subiecto esse dico” etc. Nam, ut declarat Commentator, commento II *De anima* allegato: “Aliter est forma substantialis in subiecto et aliter accidentalis; tum quia forma substantialis est in subiecto tamquam pars substantiae quae ei subicitur, non sic autem accidentalis; tum secundo quia forma substantialis praesupponitur ad subiectum suum tamquam eius per se causa, sed subiectum accidentis praesupponitur accidenti, et non e contra, tamquam eius causa”. Sic ergo proprium formae est esse in aliquo substrato suae formali denominationi. Ita videtur proprium substantiae, quae est per se in praedicamento, subici vel sterni denominationi formali. Et cum idem secundum eandem denominationem non sit simul denominans et denominatum, vel forma et subiectum formae, patet quod nulla forma sub ratione qua forma est substantia, semper loquendo de substantia ut univocetur ad substantias per se <f. 95r> in genere. Igitur, cum substantiae secundae, ut huiusmodi, sunt formae seu rationes formales primarum substantiarum, sequitur quod non, ut huiusmodi, sunt formaliter substantiae. Et forte sic intelliguntur quotquot (*interl.*) auctoritates quae sonant quod universalialia non sunt substantiae. Verumtamen deducta tali reduplicatione seu specificatione universalitatis seu formalitatis, sic possunt dici formaliter substantiae.

Duplex est responsio iuxta varium modum accipiendi formalem rationem substantiae quae est per se in genere. Prima via ponendo quod formalis ratio substantiae sit esse ens non inhaerens, quod natum est per se esse et substare accidenti absoluto, concedit quod substantia secunda est formaliter substantia. Quod enim substantia secunda sit ens non inhaerens natum per se esse patet ex prius dictis. Patet etiam prius quod substantiae secundae substant accidentibus absolutis, licet non per formalem inhaerentiam. Immo abundantius dicitur a tribusdam quod substantiae secundae substant accidentibus absolutis formaliter, concedentes quod haec est formalis praedicatio “species humana est album”, cum sit albedine formaliter illud album, quia denominative (deno^e) album. Et sic dicentes ulterius distinguunt praedicationem formalem in praedicationem mediatam et immediatam. Et sic negant accidentia absoluta praedicari formaliter et immediate de substantia secunda, quamvis praedicentur formaliter et mediate, ut species humana non est formaliter et immediate album, sed solum mediante aliquo eius supposito albo.

Sed isto dimisso, loquendo de praedicatione ut dictum est, dicit haec prima responsio consequenter quod non omnis secunda substantia est substantia incorporea, quia nulla substantia secunda quae est species per se contenta sub corpore. Nec sequitur ‘Haec substantia secunda est mole indivisibilis, vel non componitur ex materia et forma, ergo est substantia incorporea’; nam, iuxta ponentes continuum componi ex non quantis, ignis particularis est omnino mole indivisibilis, et tamen probabili-

ter potest dici quod est substantia corporea. Et ex alio latere materia prima non componitur ex materia et forma, et tamen non est substantia incorporea. Est autem secunda substantia corporea et non substantia incorporea, quia idem est esse substantiam incorpoream et esse substantiam immaterialem (id est: a materia independentem), et idem est esse substantiam corpoream et esse substantiam materialem (id est: a materia dependentem).

Et si instetur quod tam forma elementaris quam materia prima forent per idem substantiae materiales (id est: a materia dependentes), cum forma talis dependet a materia et materia prima, saltem quae est divisibilis mole, <f. 95v> dependet a suis partibus, respondet haec via quod nec forma talis nec materia prima est substantia, et ita nec substantia corporea nec incorporea. Loquitur enim de substantia ut univocatur ad per se contenta in praedicamento substantiae.

Ad secundum argumentum, quo arguitur quod animal commune foret sensibile et insensibile formaliter, concedunt quod animal commune est formaliter corpus animatum sensibile, quia idem est esse corpus animatum et esse corpus dependens ab anima, et idem est esse corpus sensibile et esse corpus dependens ab anima sensitiva. Et correspondenter idem est corpus esse rationale et esse animal dependens ab anima rationali. Et sic negatur quod animal commune est animal insensibile, quamvis sit genus quod non potest sentire. Insensibile enim, ut est differentia, idem est quod independens ab anima sensitiva. Nam secundum istam via tales termini, ‘animatum’, ‘sensibile’, ‘rationale’, possunt sumi dupliciter. Vel pro ipsis passionibus animae communicatis corpori per animam, et tunc non praedicantur formaliter de huiusmodi communibus, ut non conceditur quod homo communis sit aptus naturae uti ratione vel sentire seu vegetare, [corpus] et per consequens non est ad istum sensum animatus, sensibilis vel rationalis. Sed secundo modo possunt tales termini significare dependentiam ad animam vegetativam, sensibilem seu rationalem; et sic conceditur quod homo communis est animatus, sensibilis et rationalis. Et conformiter de terminis istis oppositis est dicendum. Primo autem modo praedicti termini in abstracto significant proprias passiones formarum quae praedicantur per se secundo de huiusmodi formis, et per consequens praedicantur in quale accidentale. Sed secundo modo significant huiusmodi termini differentias essentielles praedicabiles de generibus et speciebus quorum sunt differentiae et etiam de suppositis eorundem. Et sic aequivoce praedicantur huiusmodi termini de formis et earum (eorum *ms.*) suppositis. Nam forma hominis ideo est rationalis quia apta nata est uti ratione, et ita aptitudo est eius passio. Homo ideo est rationalis quia habet essentialem dependentiam ad formam rationalem.

Sed alia est responsio ponens quod propria ratio substantiae praedicabilis est esse ens non inhaerens quod natum est per se esse ad sensum positum et recipere formalem denominationem et immediate accidentis absoluti. Et constat quod ista ratio non competit <f. 96r> formaliter substantiae secundae, quae nec est qualis nec quanta. Unde sicut corruptibile in communi non potest corrumpi, et per consequens non est formaliter corruptibile, sic nec substantia in communi est formaliter substantia, nec corpus in communi est formaliter corpus, nec animal in communi est formaliter animal, nec homo in communi est formaliter homo. Si enim substantia in communi esset formaliter substantia, tunc esset formaliter quale vel quantum, et hoc quantitate vel qualitate praedicabili. Et si corpus in communi esset formaliter corpus, tunc componeretur ex materia et forma. Et si animal in communi esset formaliter anima, tunc haberet forma sensitivam eius † partem quali †, et ita de aliis. Et ista videtur logica Augustini (Augustinus *ms.*) in *De differentia spiritus et animae*, capitulo 6^o: “Natura -inquit- corporis, secundum quam omne corpus est, nullum utique corpus est”. Quod intelligensum est secundum praedicationem formalem.

Quantum autem ad processum Aristotelis dicit haec responsio quod substantia secunda est substantia in suppositione simplici, quia corporeitas in communi est substantialitas in communi. Est etiam substantia secunda substantia in suppositione personali et in praedicatione secundum essentiam, cum substantia secunda sit quodlibet suppositum. Non est autem de intentione Aristotelis quod substantia secunda sit formaliter substantia nec hoc innuit in processu nisi extendendo nomen ‘substantiae’ ad omne non inhaerens quod potest per se esse et qualitercumque substare accidenti absoluto. Et iuxta talem extensionem innuit quod substantia prima est proprie substantia, quia substantia secunda non immediate substatur et formaliter accidenti absoluto, sed sola substantia prima. Et signum huius quod sola substantia prima sit formaliter seu proprie substantia <est quod> Aristoteles semper vocat ipsam principalem substantiam seu primam, innuendo quod sicut sola substantia prima formaliter et immediate substatur, sic sola illa est formaliter et proprie substantia. Secunda vero substantia, sicut mediate et non formaliter substatur, sic secundarie et non proprie vel formaliter est substantia. Nec est ista divisio in substantiam primam et substantiam secundam divisio alicuius communis in supposita, sed assignatio duarum intentionum, quarum una inest substantiae secundae formaliter et immediate et altera mediante supposito et non formaliter. Sicut ergo sola substantia prima formaliter et immediate substatur accidenti absoluto, sic sola substantia prima est formaliter substantia.

Quod autem dicitur Aristoteles innuere quod substantia secunda sit formaliter substantia, quia assignando proprietatem quod commune est omni <f. 96v> substantiae in subiecto non esse, manifestat

eam tam de substantia prima quam de substantia secunda, dicitur quod hoc non est de intentione Aristotelis, sed magis manifestare quod universalia in praedicamento substantiae non sunt accidentia. Ex hoc enim quod substantia secunda non est formaliter substantia posset aliquis putare quod substantia secunda esset accidens, ideo ad hoc respondendum dicit quod substantia secunda non est in subiecto sicut nec prima. Tamen, sicut dictum est prius, aequivoce loquitur hic de esse in subiecto et in II *De anima*. Nec plus sequitur ex hoc quod substantia secunda esset formaliter substantia quam quod differentia substantialis sit formaliter substantia, cum eidem conveniat in subiecto non esse. Vult ergo Aristoteles quod praedicamentum substantiae cum sui per se contentis non sit in subiecto; et hoc declarat tam de prima substantia quam de secunda.

Sed obicitur quod data ista responsione sequitur quod animal commune non est formaliter corpus; et per consequens animal commune non esset formaliter corpus animatum sensibile. Et sic nulla definitio praedicaretur formaliter de suo definito.

Hic dicitur quod animal commune non est formaliter corpus nec formaliter corpus animatum sensibile. Sed sicut totum integrale praedicatur de suis partibus coniunctim praedicatione identica et non formali, ut conceditur quod hoc lignum est haec forma et haec materia coniunctim, vel suae medietates coniunctim, sic conceditur quod animal commune est identice corpus animatum, quia animal commune est corporeitas, animatio, sensibilitas; nec tamen est quodlibet istorum. Et conformiter homo communis est animalitas et rationalitas, et tamen non est rationalitas. Omne tamen per se et essentialiter superius est in praedicatione secundum essentiam suam inferius, quamvis non convertibiliter et identice, ut corporeitas est substantialitas, et animalitas est corporeitas, et humanitas est animalitas. Nam cum istae sunt rationes secundum quas aliquid est formaliter substantia, corpus, animal vel homo, patet quod sicut humanitas est ratio secundum quam aliquid est formaliter homo, sic est ratio quare ipsum est formaliter animal, corpus et substantia. Et per consequens humanitas est animalitas, corporeitas et substantia. Verumtamen non secundum humanitatem aliquid est primo et identice vel convertibiliter animal, sed secundum animalitatem, nec animalitate est aliquid primo, identice vel convertibiliter corpus, sed secundum corporeitatem, et ita de aliis. Est enim corporeitas ratio secundum quam aliquid dicitur primo et identice vel convertibiliter corpus, et humanitas est ratio quaedam inferior <f. 97r> secundum quam sola res de specie humana dicitur formaliter corpus; sed per humanitatem dicitur primo et formaliter homo, et per corporeitatem corpus. Et patet quomodo possunt intelligi quotquot dicta sunt quae asserunt quod nulla universalia sunt substantiae.

Quamvis haec responsio secunda videatur mihi realior et textibus consonantior, utor tamen in sequentibus exponendo modum loquendi prioris responsionis, quia loquendum est ut plures, sed sane cum paucioribus sentiendum.

Manifestum. Quia dictum est quod species et genera quibus primae substantiae insunt sunt substantiae secundae, ostendit consequenter quomodo differenter dicuntur huiusmodi substantiae secundae de substantiis primis in comparatione ad accidentia. Et, ut hoc ostendat completius, ostendit secundo quomodo se habent in ratione substandi tam primae substantiae quam secundae in comparatione ad sua superiora, et etiam quoad lateraliter se habentia in eodem genere. Et innuit primo quod secundae substantiae praedicantur de primis essentialiter, quia secundum nomen et secundum definitionem; sed accidentia solum accidentaliter praedicantur de substantiis primis, et secundum nomen tantum. Dicit autem: “Manifestum est autem de his quae dicta sunt supra (videlicet in *Antepredicamentis*) quod eorum quae de subiecto dicuntur (id est: de aliquo per se inferiori) necesse est nomen et rationem praedicari de illo subiecto (id est: de illo per se inferiori), sicut exemplariter patet; ut nomen hominis in communi et etiam ratio praedicantur de aliquo homine tamquam de per se inferiori, quia aliquis homo (id est: singularis homo) est homo, et est animal rationale mortale. Cum ergo generaliter substantiae secundae praedicantur sic de substantiis primis, sequitur quod praedicantur secundum nomen et secundum rationem. Et per consequens essentialiter”. Et quod accidentia solum accidentaliter praedicantur de eisdem probatur, quia eorum quae in subiecto sunt, ut in pluribus (id est: in multis), neque nomen neque ratio praedicatur de aliquo per se inferiori. Cuiusmodi sunt accidentia singularia, quae non dicuntur de subiecto, sed sunt in subiecto, ut dictum est prius. Et per consequens non dicuntur de substantiis primis ut de subiectis.

Et ideo, secundum quosdam, quia singularia accidentia sunt plura quam species accidentium, quamvis fortassis infinitae sunt species, eo quod unum infinitum - ut dicunt - est reliquo maius, ideo dicit textus <f. 97v> quod in pluribus neque nomen etc. Sed melius dicitur quod capitur ibidem comparativum pro positivo, ad sensum expositum. Et quantum ad accidentia communia patet quod quamvis dicuntur de accidentibus singularibus tamquam de subiectis et secundum nomen et secundum definitionem, non tamen dicuntur de substantiis primis tamquam de subiectis (id est: per se inferioribus), quamvis dicantur de illis, quia subiective suscipiunt eorum denominationes. Ex quo patet quod accidens potest dupliciter dici de subiecto: aut quia dicitur de aliquo per se inferiori, aut quia dicitur de aliquo inhaerente quod sibi subicitur. Et secundo modo dicuntur accidentiade substantiis primis, sed solum secundum nomen (id est: solum denominative) et non secundum rationem (id est: essentialiter). Ideo dicit

textus: “In aliquibus vero nomen accidentis aliquando praedicatur de subiecto (id est: ad aliquem sensum praedicatur de substantia prima, ita quod ly ‘aliquando’ non connotat ibidem differentiam temporis, sed magis circumstantiam aietatis, ut idem sit ‘aliquando’ et ‘aliquo modo’ vel ‘ad aliquem sensum’), rationem vero (id est: definitionem) impossibile est praedicari de substantia prima (id est: impossibile est accidens dici de substantia prima definitive vel essentialiter, sed solum denominative)”. Et ut illud magis clareat, consequenter dat quomodo se habent in ratione substandi in comparatione ad sua superiora et in comparatione ad accidentia tam primae substantiae quam secundae. Et probat per duas rationes quod prima substantia principaliter et maxime substans. Et est prima ratio talis in textu: “Alia autem omnia a primis substantiis aut dicuntur de principalibus (id est: primis substantiis) tamquam de subiectis aut sunt in eis tamquam in subiectis; ergo illae principaliter et maxime substans”. Antecedens est manifestum ex his quae per singula proponuntur (id est: inductive). Nam quod secundae substantiae dicuntur de primis substantiis ut de subiectis patet, quia si animal de homine praedicatur, tunc de aliquo singulari homine praedicatur, quia si non sit singularis homo qui sit animal, tunc simpliciter nec homo est animal. Et conformiter quantum ad accidentia patet quod si color est in corpore, tunc aliquod est corpus singulare in quo est, quia si non sit in aliquo singularium corporum <f. 98r> tunc non erit in corpore. Cum ergo nulla sunt praeter substantias primas nisi accidentia vel substantiae secundae, sequitur quod omnia alia a substantiis primis aut dicuntur de ipsis aut sunt in illis - quod fuit antecedens. Ad probandum secundo arguit Aristoteles sic: illud videtur principaliter et maxime aliis substare quo posito alia ponuntur et quo remoto alia perimuntur; sed non existentibus primis substantiis impossibile est aliquod aliorum remanere; ergo primae substantiae principaliter et maxime substans. Et antecedens patet pro minori, eo quod omnia alia sunt in illis aut dicuntur de illis.

Secundarum. Ostenso quomodo se habeat substantia prima in ratione substandi tam quo ad superiora sua quam etiam quo ad accidentia ostendit secundo quomodo secunda substantia se habet in ratione substandi in comparatione ad sua superiora et in comparatione ad accidentia. Et probat per duas rationes quod secunda substantia quae est species specialissima est magis substantia seu magis substans quam genus sibi superius. Quarum prima est ista: prima substantia est maxime substantia; et proportionaliter secundum quod secundae substantiae sint propinquiores primae, ut sic sunt magis substantiae; sed species specialissima propinquior est substantiae primae quam suum genus; ergo etc. Minor sic probatur: illud est propinquius primae substantiae per quod convenientius et limitatius respondetur ad quaestionem factam per quid de prima substantia; sed convenientius et limitatius respondetur per speciem quam per suum genus; ergo etc. Antecedens patet in exemplo. Si enim quis assignet quid est sub-

stantia prima, evidentius assignabit proferendo speciem quam genus. Ut quaerenti quid est hoc, demonstrando hominem, manifestius assignabitur quod homo quam animal. Illud enim est magis proprie et magis limitatum homini singulari; animal vero magis commune est, et magis confusum et illimitatum. Et conformiter quaerenti quid est hoc, demonstrando arborem, convenientius respondetur dicendo quod est arbor quam quod est planta.

Secunda ratio est haec: amplius principales (id est: primae) substantiae propterea maxime substantiae dicuntur, quia omnibus aliis subiacent, et omnia alia de ipsis praedicantur vel in ipsis sunt; sed sicut habent se primae substantiae ad omnes substantias secundas sic se habent species ad genera – subiacent enim species <f. 98v> generibus et non e contra –; ergo etc.

Hic notandum est distinctio prius posita in principio huius capituli, quomodo a ratione substandi dicuntur primae substantiae maxime substantiae, et inter substantias secundas species dicuntur magis substantiae quam genera sibi superiora - ut sententiat textus.

Alii distinguunt de suscipere magis et minus. Dicitur enim aliquid alio magis vel minus alicuiusmodi quia est in aliqua denominatione accidentaliter intensius vel remissius denominatum. Et hoc dicitur proprie suscipere et magis et minus. Ut unum album est alio magis album. Sed secundo modo denominatur res cum magis et minus quando comparantur ad aliquod tertium in nominatione essentiali respectu cuius tertii unum magis distat in perfectione essentiali quam reliquum; ut forma dicitur magis ens quam materia. Sed tertio ad propositum dicitur una substantia magis substantia quam alia quia, ad modum prius positum, est propinquius substans accidentibus.

Pro quo intelligendo imaginanda est latitudo universalium universalitate causationis et latitudo universalium universalitate praedicationis. Et tunc, sicut semper universalius in ordine causarum essentialium vel est minus subiectum vel aliter non est subiectum accidentibus vel transmutationibus in accidente quam suum inferius, sic imaginatur Aristoteles proportionaliter quod sicut universalia praedicatione sunt communiora sic sunt ipsa naturaliter priora, et, ut sic, magis remote accidentibus subiecta. Sed correspondenter sicut universali sunt minus communia et proximiora individuis quae sunt simpliciter incommunicabilia, sic sunt posteriora in natura et magis propinqua accidentibus quo ad rationem substandi. Non enim substantia quo ad essentiam suam est intensibilis et remissibilis, nec ut sic dicitur suscipere magis et minus, sed quo ad actum substandi, quia prima substantia principalius et immediatius pluribus speciebus accidentium substat quam secunda substantia.

Alii autem magistri signorum per substantiam primam intelligunt terminum singularem substantialem et per substantiam secundam terminum communem substantialem. Et tunc dicunt ipsi quod ter-

minus communis, ut est superior, sic paucioribus per se superioribus est subicibilis; ut talis terminus ‘animal’ pauciores per se praedicationes recipit quam talis terminus <f. 99r> ‘homo’, et pauciores iste terminus ‘homo’ quam iste terminus ‘iste homo’. Et sic intelligunt primam substantiam esse magis substantiam quam secundam substantiam et speciem quam suum genus (id est: plures praedicationes per se recipit terminus singularis substantialis quam terminus communis sibi superior, et plures terminus communis specificus quam generalis).

Et conformiter possumus nos intelligere de rebus quod substantia singularis pluribus per se superioribus subicitur in praedicatione reali quam aliqua substantia universalis, et species pluribus substat quam suum genus. Sed quid hoc magis ad praedicamentum substantiae quam ad genus quantitatis aut ad alia genera?

Ipsarum vero. Determinato quomodo se habeant tam primae substantiae quam secundae in comparatione ad sua superiora, et hoc quo ad rationem substandi, hic declarat quomodo se habeant in comparatione ad alias substantias lateraliter se habentes in eodem genere. Et probat duas conclusiones: unam de substantia secunda, quae est haec: ipsarum vero specierum specialissimarum nulla est magis substantia quam reliqua. Quod probat ex hoc: nam una substantia secunda propter hoc dicitur magis substantia quam alia substantia secunda quia est propinquior primae substantiae; sed omnes species specialissimae in genere substantiae aequae propinquae sunt primae substantiae; ergo etc. Minor patet eo quod omnes tales aequae limitate indicant quidditatem substantiarum primarum, quia aequae limitate et aequae familiariter indicat communis humanitas essentiam hominis singularis sicut species bovis essentiam bovis singularis. Quamvis enim species humana sit perfectior essentialiter quam species bovis, non tamen habet rationem immediatius substandi accidentibus vel indicare essentiam sui individui; ed ideo non dicitur una species magis substantia quam alia.

Aliam conclusionem probat de prima substantia, quae est haec: similiter et principalium (id est: primarum) substantiarum nulla est alia magis substantia, sicut nec iste homo est magis substantia quam iste bos. Nam quo ad actum substandi aequae immediate substant accidentibus. Ergo etc.

Et ex istis sequitur quod merito post principales substantias sunt genera et species in praedicatione substantiae secundae. Quod sic probatur: omnia talia quae indicant quidditatem et essentiam primarum substantiarum sunt secundae substantiae; sed solum huiusmodi genera et species sunt talia; ergo etc. Minor probatur, ut si quaeritur quid est Sortes, responsio indicans eius quidditatem est dicendo quod est animal vel homo. <f. 99v> Familiarius tamen assignabitur quid sit Sortes in assignando quod est homo quam assignando quod est animal, quia maior est certificatio. Si autem dicitur

quod album, currens, et sic de denominationibus aliorum praedicamentorum, tunc non assignabitur quidditas Sortis, sed eius accidens.

Secundo probatur idem sic amplius: solum illa quae post primas substantias substant omnibus aliis vere dicuntur secundae substantiae, quia primae substantiae propter hoc dicuntur primae substantiae quia substant omnibus aliis; sed species et genera de praedicamento substantiae sola post primas substantias substant omnibus aliis; ergo etc. Minor patet. Nam si grammatica inest homini singulari, tunc inest homini communi et animali communi, et ita de aliis.

Notandum ergo quod formae communes quae vocantur universalialia, licet substant remote huiusmodi accidentibus nominatis, non tamen primo suscipiunt praedicationes formales tales - sicut dictum est prius. Et certum videtur mihi quod ex hoc quod possunt substare accidentibus [quod] non sunt intentiones in anima.

Sed sciendum est quod duplex solet poni praedicatio in communi. Aliqua enim est praedicatio secundum essentiam et aliqua est praedicatio formalis. Est autem praedicatio secundum essentiam quando eadem essentia significata per praedicatum est res significata per subiectum, vel quando subiectum a parte rei est praedicatum, sed aliqua ratio formalis connotatur, ut sic, per subiectum quae non inest primo et denominative praedicato, vel e contra. Ut sic[ut]: “natura humana est homo singularis”, “humanitas est currens”, “homo singularis est species”, et ita de aliis. Non tamen est ista praedicatio concedenda “homo est asinus”, quia subiectum non est praedicatum, quamvis animalitas sit tam homo quam asinus, quia oporteret ad illam praedicationem quod animalitas esset primo formaliter vel homo vel asinus, quod non est verum. Conceditur tamen quod singulare est commune, quia aliqua essentia formaliter communis est homo singularis. Non tamen album est nigrum nec e contra, nec rationale est irrationale, quia nulla essentia formaliter alba est nigra nec e contra, nec aliqua essentia formaliter rationalis est irrationale; et ita de aliis. Et iuxta hoc conceditur quod species specialissima est genus generalissimum, quamvis non formaliter.

Sed alia est praedicatio formalis, ut quando ratio prima praedicati, ut huiusmodi, inest formaliter primo subiecto; ut “homo est animal”, “Sortes est albus”. Et ista duplex est: substantialis vel accidentalis. Accidentalialis ultra dividitur in formalem praedicationem accidentium <f. 100r> quae implicat subiectum suum esse per se mobile et aliorum accidentium quae non sic implicat, quae vocatur praedicatio secundum habitudinem - de quibus dictum est prius. Et istas praedicationes oportet cognoscere pro multis argumentis in ista materia.

Ulterius dicitur quod, sicut conceditur quod substantia secunda quae est species est substantia, ubi non dubium quin etiam secundum ponetes universalia a parte rei esse in suis individuis sed non esse illa adhuc praedicatur genus generalissimum in suppositione simplici de specie, ita conceditur quod Sortes est species. Ideo sicut aliqui dicunt duplicem esse suppositionem simplicem, unam quam vocant suppositionem simplicem generalem (quando fit suppositio pro natura generali sub ratione qua ipsa est genus, ut hic “substantia est genus generalissimum”, “animal praedicatur de multis differentibus specie”, et ita de aliis), aliam quam vocant simplicem specialem (quando fit suppositio pro natura generali sub ratione qua ipsa est species, aut quando fit suppositio pro natura specifica sub ratione qua illa est species, ut “species humana est substantia”, “homo praedicatur de omnibus hominibus”), ita tertia est suppositio personalis dicta simplex quando fit suppositio pro natura, sive generali sive speciali, sub illa ratione qua ipsa est suum individuum, ut hic: “Sortes est natura specifica hominis”, “Sortes est substantia in communi”. Et in talibus communiter est praedicatio secundum essentiam et non formalis, ut non formaliter esset Sortes homo communis nisi posset multis communicari. Ideo dicunt aliqui quod talia nomina secundae intentionis possunt aut sumi pro illis quae significant, et tunc idem foret hoc esse speciem et hoc esse communicabile specificiter, sed alias possunt sumi pro his quae denominant, et tunc foret idem “hoc est species” et “hoc est natura cui inest esse speciem”.

Solet tamen dici triplex esse universale: actu, videlicet ut homo, qui pluribus communicatur actualiter; potentia, ut phoenix, quae potest successive communicari multis, sed non simul; et tertio universale intellectu, quod solo intellectu potest multis communicari, ut sol, mundus etc., quae tantum unicum suppositum habent in actu.

Et per ista tolluntur multae instantiae in materia de universalibus.

<De proprietatibus substantiae>

Commune est omnibus. Haec est secunda pars huius capituli, in qua determinantur sex proprietates substantiae, quarum aliquae <f. 100v> competunt tam primae substantiae quam secundae; aliquae vero primae et non secundae; et aliquae substantiae secundae et non primae. Est autem prima proprietas communis tam substantiae primae quam secundae, quia commune est omni substantiae in subiecto non esse. Nam, sicut prius dicitur, nulla substantia prima est in subiecto nec dicitur de subiecto; secundarum vero substantiarum constat nullam esse in subiecto, ut humanitas in communi, quamvis dicitur de aliquo homine ut de subiecto, non tamen est in subiecto. Non enim est humanitas illa subiective in aliquo homine. Et conformiter de animalitate. Amplius illa quae sunt in subiecto dicuntur denominative de suis subiectis, sed non essentialiter secundum rationem. Secundae autem substantiae sunt in suis inferioribus et dicuntur de eis non solum secundum nomen, sed etiam secundum rationem (id est: essentialiter vel definitive). Ergo secundae substantiae non sunt in subiecto.

Non est autem hoc proprium substantiae (id est: ista proprietas non competit solum substantiae), videlicet non esse in subiecto, sed etiam differentiae quae est pars quidditatis substantiae; quoniam omne tale non est in aliquo subiecto quod praedicatur de substantia prima et secundum nomen et essentialiter, sed differentia essentialis ita praedicatur, etc. Exemplificat Aristoteles de bipede et gressibili, quae videntur esse differentiae accidentales aut propria et non differentiae substantiales. Et forsitan hoc est propter penuriam differentiarum substantialium; exempla enim ponimus non ut ita sit, sed ut sentiant qui addiscunt.

Et ex his dictis potest capi quod differentia substantialis non est substantia, quia, ut dicit textus quod non est hoc proprium substantiae, sed etiam differentiae, innuendo per illam exceptionem differentiam non esse substantiam. Ideo dicitur a multis et probatur quod differentia substantialis non est substantia nec accidens, sed principium substantiae. Alii tamen ponunt quod differentia substantialis hominis sit ipsa anima; et sicut anima inest essentialiter homini tamquam pars qualitativa formalis, ita praedicatur in concreto de homine et per se et in quale, ut “homo est per se animatus”. Alii autem dicunt quod differentia est in essendo substantia, in praedicando vero accidens. Quod sic intelligitur: differentia substantialis habet modum essendi substantiae, eo quod est ens non inhaerens, sed praedicatur in concreto, non in abstracto de substantia, sicut et accidens; et sic non est substantia neque accidens.

Sed quomodocumque sit de hoc ex verbis textus non capitur quod sit terminus vel intentio, cum tunc foret in subiecto - quod est contra textum. Scio <f. 101r> tamen quod pars adversa diceret quod

sententia textus est quod de terminis substantialibus vel differentialibus non praedicatur esse in subiecto. Sed puerile mihi videtur omnem sententiam isto modo retorquere ad signa.

Non vos conturbent etc., quia credi potest ex dictis quod partes substantiarum non sunt substantiae, eo quod sunt in subiecto, ut videlicet (*lectio dubia*) quia sunt in toto cuius sunt partes. Hoc removet Aristoteles dicens: “Non vos conturbent substantiarum partes, quamvis videatur vobis quod istae in toto sunt ac si in subiecto essent, ne forte cogamur perinde confiteri istas non esse substantias, quia ad sensum prius positum solum tale dicitur esse in subiecto quod est in aliquo non tamquam pars”.

Notandum quod ad verba concedi potest quod partes substantiarum sunt in subiecto, quia sunt in toto, et illud est subiectum, et anima est in subiecto, quia in homine, nec tamen sunt in toto subiective per modum formaliter inhaerentis. Et hoc intelligit Aristoteles per esse in subiecto - ut prius dictum est.

Inest autem. Haec est secunda proprietas, communis substantiae secundae et differentiae substantiali, et non solum illis, sed accidentibus communibus. Dicit ergo: “inest autem tam substantiis secundis quam differentiis substantialibus ex his omnibus omnia univoce praedicari (id est: quod omnia de numero horum univoce praedicentur). Sed a substantia prima nulla est praedicatio proprie dicta”. Patet ista proprietas sic: omnia quae praedicantur secundum idem nomen et secundum eandem nominis rationem univoce praedicantur; sed tam secundae substantiae quam etiam differentiae sic praedicantur; ergo etc. Antecedens sic probatur: omnia enim ex his (id est: de numero istarum, scilicet secundarum substantiarum et differentiarum substantialium) quae praedicantur aut praedicantur de speciebus aut individuis. Et quantum ad secundas substantias, patet quod species praedicatur de individuis, genera autem de speciebus et individuis; similiter autem et differentiae praedicantur de speciebus et individuis. Suscipiunt autem primae substantiae rationem specierum et generum et differentiarum, et species etiam suscipiunt rationem generum. Cum ergo univoca sunt ista quorum nomen commune est etc., sequitur quod secundae substantiae et differentiae substantiales dicuntur univoce.

Omnino autem substantia videtur hoc aliquid significare. Et hoc est tertia proprietas, quae est indubitabilis et vera de primis substantiis, quia quod significatur (id est: <f. 101v> repraesentatur) per primam substantiam est individuum et unum numerum.

Ubi notandum est quod hoc aliquid est individuum de cuius essentia non est, ut huiusmodi, cum alio componere qualitative aliquid. Et sic nec materia prima nec forma substantialis materialis est proprie hoc aliquid. Et solum tale dicitur proprie ponere in numerum quod (qui *ms.*) est quantitas discreta - ut patebit posterius. Ideo solum tale communiter vocatur unum numero. Et sic non est universale for-

maliter unum numero, quamvis large loquendo de uno numero, prout dicit ens quod cum alio constituit multitudinem, posset universale dici unum numero. Sic ergo patet quomodo substantia prima repraesentat hoc aliquid. Secunda vero substantia videtur sub figura appellationis repraesentare principaliter hoc aliquid, ut cum hoc dixerit hominem vel animal. Sed non est verum. Sed magis significat quale quid (id est: substantialem qualitatem). Neque enim verum est quod subiectum est, neque substantia secunda est unum numero quod subicitur, modo quo primae substantiae subiciuntur; sed de pluribus dicitur secunda substantia, ut homo et animal. Et quia aliquis posset credere quod substantia secunda significat qualitatem, modo quo albedo aut aliud accidens significat qualitatem, removet hoc Aristoteles dicens quod secunda substantia non significat simpliciter quale, quemadmodum album et albedo, quia album (id est: albedo) nihil aliud significat a subiecto quam qualitatem accidentalem (id est: non significat aliquod quid vel aliquam partem quidditatis substantiae, sed solum qualitatem). Genera autem et species quae sunt secundae substantiae determinant quamdam qualitatem circa substantiam (id est: significant vel determinant qualitatem substantialem quae est pars quidditatis substantiae). Sic enim vocatur differentia substantialis ‘qualitas substantialis’, V *Metaphysicae*, commento 19°.

Sed pro isto notandum quod quale quid potest dupliciter intelligi. Uno modo omnis substantia qualificata dicitur quale quid, sive qualitas ista sit essentialis, cuiusmodi est differentia, sive accidentalis, ut albedo. Et sic album significat quale quid. Sed secundo modo dicitur quale quid universale multis communicabile, quorum quodlibet, si est, est hoc aliquid, ut species humana, genus animalis et sic de ceteris. Quodlibet enim tale, cum aggregat in se quidditative genus et differentiam, quorum unum est quale <f. 102r> et aliud quid, vere dicitur quale quid.

Dicitur ergo a quibusdam quod Aristoteles per primam substantiam intelligit nomen primae substantiae, quod nomen significat principaliter hoc aliquid, quia datum singulare. Sed nomen secundae substantiae vocat hic substantiam secundam, quod dicitur significare quale quid (id est: commune per quod innotescit quidditas singulari). Et quia illud commune est quodlibet suorum singularium et nomen secundae substantiae significat principaliter illud commune quod est datum suum singulare, crederetur propter hoc quod nomen secundae substantiae significaret illud idem singulare principaliter. Et hoc intelligit Aristoteles per istos terminos “sub figura appellationis”, id est: quia nomen datum est appellativum significans commune quod est hoc singulare; ideo significaret hoc singulare. Sed hoc non sequitur - ut dicit textus.

Alii intelligunt cum grammaticis per ‘qualitatem substantialem’ rationem essendi in genere communem. Unde grammatici dicunt nomina appellativa significare subiectum cum qualitate communi

(id est: essentiam cum ratione communi in genere). Sunt autem rationes in genere: esse hominem, esse quantum, esse album, esse patrem, esse hic vel nunc, et similia. Et quia pronomina et verba substantivata significant absolute essentiam sine aliqua huiusmodi connotatione rationis in genere, ideo dicuntur a grammaticis significare meram substantiam (id est: pure essentiam, sine connotatione huiusmodi rationis in genere). Sed significare ergo hoc aliquid est significare essentiam cum qualitate propria, et significare quale quid est significare essentiam cum qualitate communi. Et quia sub simili voce et similibus litteris profertur una dictio et alia, ideo sicut una dictio significat hoc aliquid, ita crederetur quod alia - et hoc est sub figura appellationis, id est: prolationis vel derivationis aut nominationis.

Alii dicunt quod quia nomina imposita sunt a proprietatibus repertis in singularibus, ideo crederetur etiam nomina secundarum substantiarum significare principaliter huiusmodi singularia sub figura appellationis (id est: impositionis). Sic ergo dicunt grammatici nomen proprium uni soli etnomen commune pluribus convenire per appellationem (id est: per impositionem). Ex hoc enim fit nomen proprium, quia imponebatur ad significandum unum <f. 102v> determinatum et proprie. Quod autem nomina fuerunt sic imposita, patet per communem opinionem tractantium de natura idiomatum. Unde et theologi dicunt Adam, postquam creatus est, dum staret ante lapsum, singulis generibus animalium nomina imposuisse iuxta eorundem proprietates.

Quarto dicitur, ut prius, quod differentia substantialis est qualitas substantialis, non sic quod sit accidens de genere qualitatis, sed proprietas quaedam essentialis substantiae, ut loquitur Philosophus in commento praeallegato, quam qualitatem substantialem significant vel dicunt illae secundae substantiae. Et propter hoc significat quale quid (id est: essentiam cum tali qualitate). Et quia talia communia simul representant naturam communem et appellatum sub tali natura, quod est singulare, ideo videntur sub figura appellationis (id est: appellativi nominis) significare hoc aliquid. Est enim appellare, secundum aliquos rem sub ratione propria designare.

Ad secundam vero substantiam pertinet rationem primae substantiae designare. Et sic videtur, ut dictum est, hoc aliquid significare. Sed non est verum, sed magis significat quale quid, ad sensum expositum. Genera vero et species circa substantiam primam qualitatem substantialem determinant; et maior ad hoc est determinatio in genere quam in specie, eoquod plura complectitur genus quam species; et sic pluribus rationem designat.

Pro quo nota quod dupliciter potest intelligi plus in uno quam in alio fieri determinatio. Uno modo quia specialius et magis limitate fit determinatio vel indicatio quidditatis per unum quam per aliud; et sic maior est determinatio in specie quo ad individua quam in genere, cum species ad pauciora

se extendit et magis limitate indicat quid est prima substantia - ut dictum est superius. Alio modo est maior determinatio in aliquo eo quod plura determinat et generalitatem intellectum (inte^m) correspondentem habet; et isto modo est maior determinatio in genere quam in specie, quia plura individua appellat genus quam species. De pluribus enim contingit vere respondere dicendo <f. 103r> quod singulum eorum est animal quam dicendo quod singulum eorum est homo.

Inest autem substantiis nihil esse eis contrarium. Haec est quarta proprietas, communis omni substantiae. Patet ista proprietas, quia nullae primae substantiae nec secundae est aliquid contrarium. Nec est hoc proprium substantiae solum, sed etiam quantitati, ut bipedali. Quantitati nihil est contrarium, nisi fortassis quis dicat magnum parvo aut multum paucis esse contrarium. Certum tamen est quod quantitati determinatae secundum nomen specificum nihil est contrarium.

Pro quo notandum quod contrarietas stricte et proprie sumitur pro oppositione inter formas absolutas et positivas, secundum quas substantia nata fuit agere vel pati. Et vocatur haec oppositio “contrarietas activitatis”; et haec non reperitur primo in substantia per se in genere, cum non sit activa sine qualitate, nec etiam in quantitate, cum quantitas non sit de genere activorum. Sed alio modo large loquendo sumitur contrarietas pro oppositione inter qualescumque formas natas sibi invicem succedere secundum speciem in eodem subiecto, non compatibles se simul secundum speciem in eodem subiecto. Et isto modo omnis motus est a contrario in contrarium. Isto modo etiam opponitur quantitas maior quantitati minori; locus sursum loco deorsum; et ita de aliis. Et vocatur haec oppositio “contrarietas denominationis”. Hic autem Aristoteles loquitur de contrarietate primo modo dicta; et conformiter loquitur Commentator V *Physicorum*, commento 10^o, ponens elementa non contrariari nisi secundum qualitates.

Sed alii largius distinguunt de contrarietate dicentes quod aliqua est contrarietas inter signa et aliqua inter res ad extra. Si inter signa, vel inter signa complexa vel inter signa incomplexa. Inter signa complexa sicut loquitur Aristoteles in fine II *Perihermeneias*; vel inter signa incomplexa. Et hoc duobus modis: vel inter terminos accidentales, quos non stat simul vere, directe et affirmative et ultimate affirmari de eodem subiecto singulari, ut sunt isti termini ‘album’, ‘nigrum’. Certum est tamen quod tales <f. 103v> termini non contrariantur nisi propter significata eorundem. Vel secundo inter terminos substantiales, quos stat simul affirmari de eodem genere vel specie secundum diversa individua, sed non secundum idem individuum, ut ‘rationale’, ‘irrationale’, ‘par’ et ‘impar’ opponuntur. Vel inter terminos privativos, ut ‘forma’ et ‘privatio’, quos Philosophus I *Physicorum* probat non esse substantias eo quod sunt contraria, ut patet commento 52^o. Si autem inter res sit contrarietas hoc est vel inter

formas vel inter composita. Si inter formas, vel inter formas substantiales vel accidentales. Si inter formas substantiales, vel inter tales quarum una est activa immediate in aliam; et sic contrariantur formae elementares.

Credo tamen quod formae elementares non sunt activae ad invicem sine qualitatibus, ut ignis non igniret sine caliditate nec ascenderet sine levitate. Non enim maneret ignis sine caliditate, ut dicitur VIII *Metaphysicae*, commento 5°, nec posset agere sine calore, ex XII *Metaphysicae*, commento 19°. Gaudeant ergo ipsi de sua opinione, qui amant frigidus ignes in hieme. Sed de isto posterius.

Si autem formae contrariae non mutuo sunt activae, sic inter formas superadditas est contrarietas, ut inter formam panis et formam sanguinis, quae mutuo possunt succedere in eadem materia, et non stat quod simul ultimate actuent eandem materiam. Corpora autem habentia tales formas substantiales vel accidentales contrarias dicuntur secundarie contraria, ut ignis, aqua et huiusmodi. Si inter accidentia sit contrarietas, vel inter talia quorum unum est mutuo immediate activum in reliquum per successivam transmutationem subiecti, et sic solum est contrarietas inter qualitates primas; vel inter talia quibus non stat subiectum ultimate denominari tali denominatione quali natum est utrumque denominari. Et sic contrariatur albedo nigredini, intensior gradus remissiori, et maior quantitas minori, quia non stat subiectum ultimate esse huiusmodi et huiusmodi, ut non stat subiectum esse album et nigrum, hic adaequate ubicatum et ibi, pedale et bipedale. Et sic intelligi Aristoteles, V *Physicorum*, dicens omnem motum esse a contrario <f. 104r> in contrarium. Dicit ergo haec via quod substantiae nihil est contrarium tali contrarietate qualis est inter formas mutuo inter se activas ad invicem transmutando subiectum per verum motum in sua acquisitione vel deperditione.

Secundo dicunt aliqui quod aliqua est contrarietas circa genus praedicabile, ut inter rationale et irrationale, et haec reperitur in substantia. Etiam aliqua est contrarietas circa subiectum ens in actu, ut inter albedinem et nigredinem, quae adveniunt enti in actu; et haec non reperitur in substantia. Et tertia est contrarietas circa subiectum ens in potentia, ut inter formas elementares, et inter formam et privationem. Quarto modo accipitur contrarietas communiter pro omni oppositione. Contrarietas autem secundo modo dicta dividitur in contrarietatem inter formas activas advenientes enti in actu, et talis nec reperitur primo in substantia nec in quantitate, et in formas non sic activas. Et eadem est sententia utrobique. Eligat respondens sententiam quam voluerit. Sed de illo plenius dicitur capitulo de oppositis.

Videtur autem substantiam non suscipere magis et minus. Et haec est quinta proprietas, communis omni substantiae. Nec sic tamen intelligendo quod nulla substantia est alia magis substantia,

quia dictum superius quod substantia prima est magis substantia quam secunda, sed non quo ad rationem essendi, sed quo ad rationem substandi.

Pro quo notandum quod substantia potest considerari quo ad rationem substandi, quae est proprietas vel passio posterior substantia, et secundum illam rationem dictum est unam substantiam esse alia magis substantiam; vel secundo quo ad rationem essendi, et sic nec una substantia potest vicissim esse magis et minus substantia nec una magis aut minus substantia quam alia. Sic videlicet quod nulla natura generalis nec aliqua species de praedicamento substantiae praedicatur secundum magis et minus de suis contentis. Nullus homo enim potest esse una vice magis homo et alia vice minus homo; nec unus homo potest esse alio homine magis homo. Potest tamen homo esse nunc magis albus quam prius fuit vel quam alius homo est signandus.

Et ideo dicunt alii quod suscipere magis et minus est dupliciter, materialiter scilicet et formaliter. Materialiter dicitur suscipere magis et minus subiectum secundum quod est intensius vel remissius denominatum, sive <f. 104v> in comparatione ad aliud sive ad seipsum secundum diversa tempora. Et sic substantia suscipit magis et minus. Sed formaliter dicitur illud suscipere magis et minus quod successive potest inesse eidem denominative et primo secundum intensius et remissius, vel quod simul inest diversis secundum intensius et remissius. Et sic qualitas suscipit magis et minus; non quia una qualitas est alia qualitate magis qualitas, sed quia eadem species qualitatis potest inesse alicui nunc secundum gradum intensiorem et nunc secundum gradum remissiorem. Et isto modo substantia non suscipit magis et minus.

Maxime autem substantiae videtur esse proprium quod cum sit unum et idem numero, est susceptivum contrariorum. Haec est sexta proprietas, pro qua notandum est quod duplex solet dici subiectum transmutationis, scilicet per se subiectum et per accidens subiectum. Voco “per se subiectum transmutationis” substantiam compositam ex materia et forma cui inest primo denominative transmutatio. Et dicitur per se subiectum transmutationis quia est subiectum non subiectatum ulterius aut quia primo sibi inest transmutatio. Sed per accidens subiectum potest esse tripliciter. Aut quia non inest sibi transmutatio primo denominative, sed secundum quid vel secundum partem, ut si dicatur hominem transmutari quia pars eius transmutatur; et tale potest esse per se subiectum transmutationis. Sed secundo per accidens dicitur esse subiectum transmutationis omne accidens quod potest recipere contrarias denominationes propter transmutationem subiecti, per quod extenditur vel in quo subiectatur, et quale numquam potest esse per se subiectum transmutationis, cum non potest non inhaerere. Et tertio omne contentum in alio, sive per modum formae actuantis sive per modum locati moti ad motum sui conten-

tis, dicitur per accidens subiectum transmutationis; ut homo in navi, anima in corpore. Et talium aliqua possunt esse per se subiecta transmutationum et aliqua non.

De anima autem verisimiliter creditur secundum Philosophos quod non est physice mobilis post separationem sicut ante, quamvis coniuncta corpori communicantur ad compositum, et non <f. 105r> appropriate possit tristari vel gaudere. Solum enim tale dicitur physice mobile quod habet materiam in potentia ad distinctam formam a forma prius habita, seu sit in potentia ad qualitatem, quantitatem vel ubicationem. Debet ergo haec proprietas sic intelligi, quod sola substantia est per mutationem sui tamquam per se subiecti susceptiva contrariorum. Probat hoc autem Aristoteles inductive, quia de aliis quae non sunt substantiae non habebit homo quicquam quod proferat quod potest modo praedicto suscipere contraria. Non enim idem color singularis potest esse albus et niger, nec eadem actio prava et studiosa, et sic de aliis quae non sunt substantiae. Sed idem homo potest esse vicissim bonus et malus, pravus et studiosus, albus et niger, calidus et frigidus, et sic de aliis substantiis.

In aliis autem quae non sunt substantiae nihil tale contingit, nisi quis forsitan instet dicens orationem et visum (id est: opinionem) esse huiusmodi (id est: posse suscipere contraria). Eadem enim oratio existens vera significando Sortem sedere eo surgente foret falsa. Et sic videtur successive suscipere veritatem et falsitatem, quae videntur esse contraria. Et conformiter de opinione. Sed ista obiectio tollitur per hoc quod si oratio talis sit substantia non obstat quod posset suscipere contraria. Si autem sit accidens, adhuc dicitur quod veritas et falsitas in oratione non opponuntur contrarie, sed magis relative. Sed si quis hoc sustineat (id est: si quis hoc concedat, quod oratio posset suscipere contraria in suscipiendo veritatem et falsitatem), tamen in modo differt (id est: tamen est differentia in modo suscipiendi). Nam substantia est susceptiva contrariorum per mutationem factam in se ipsa tamquam in per se subiecto, ut de frigido fit calidum ipso frigido mutato in calidum, ut ex nigro fit album, et ita de aliis exemplis Aristotelis. Oratio autem et opinio in suscipiendo veritatem et falsitatem omnino immobilis perseverat, quia cum veritas et falsitas sunt respectus patet quod ad illas non est motus. Ideo, si quis sedeat sive non sedeat, oratio significans ipsum sedere omnino permanet <f. 105v> eadem; variatio ergo quae sit in signo de veritate in falsitatem non est propter mutationem aliquam in signo, sed propter mutationem factam a parte rei significatae per propositionem, quia in eo quod res est aut non est quam propositio primarie significat est propositio illa vera vel falsa.

Pro quo notandum quod sicut imago non dicitur homo nisi quia est signum hominis, ita nec propositio dicitur vera ex impositione nisi quia est signum veri a parte rei. Et nota quod duplex est veritas propositionis. Una quam significat, ut Deum esse est veritas propositionis significata per hanc pro-

positionem “Deus est”. Sed alia est veritas propositionis quae est accidens propositionis denominans formaliter propositionem esse veram, sicut paternitas denominat hominem esse patrem. Et illam vocant aliqui adaequationem signi ad suum significatum primum et habitum significati primarii. Oratio enim proinde est vera quia habet primum significatum, et ex hoc est falsa quia deficit sibi primum significatum. Et sic veritas est respectus dependens a propositione et a veritate significata per propositionem. Sed, cum ens et verum convertuntur, sicut entitas et veritas, ut patet II *Metaphysicae*, patet quod omnis oratio sicut omne ens potest dici vera veritate naturali, cum omne tale sit una vera res. Et sic omne quod est est verum. Nec de isto dubitat metaphysicus. Sed de veritate signi quam habet ex impositione in significando complexe fit hic locutio.

Quod autem alias solet obici contra hanc sextam proprietatem de linea superficie et huiusmodi, quae videntur posse curvari aut rectificari, et sic suscipere contraria. Ut posito quod .a. sit piramis rotunda mota circulariter axe quiescente quae postea moveatur describendo lineam rectam pedalem per conum suum ipso continue (*lectio dubia*) cum hoc circumgirato, tunc patet quod axis movebitur primo recte sicut stante piramide in principio erit idem axis primum subiectum quietis. Sed ad illud dicitur quod talia non moventur, nisi cum subiectis ea differentibus. Et sic per accidens et non per se moventur. Habent enim, ut dici potest probabiliter, subiecta prima vel adaequata, ut linea substatur primo in substantia lineari (*sic*) et superficies in substantia superficiali; et ita de aliis. Unde videtur quod haec proprietas non competit omni substantiae, sed solum substantiae corporali (*corruptibili ms.*), cum proprie contraria non possunt vicissim inesse nisi substantiis corporalibus etc. <f. 106r>

<De quantitate>

Quantitatis aliud continuum aliud discretum. Hoc est secundum capitulum secundae partis huius libri, in quo tractatur de secundo praedicamento, quod est quantitas. Sicut enim materia prima est prima in via generationis substantiae materialis, ita quantitas, quae consequitur materiam seu substantiam materialem, videtur esse prior in ordine procedendi quam fuit alia accidentia consequentia substantiam materialem. Ideo ponitur a multis tamquam basis aliorum accidentium.

Pro quo notandum quod quantitas aliquando aequivocatur ad omnem magnitudinem respectivam vel absolutam. Dicitur enim virtus quanta respective in comparatione ad effectum; angulus etiam dicitur quantus in comparatione ad basim; et ita de aliis quae in se sunt indivisibilia, non habentia partes distinctas secundum situm aut sibi invicem succedentes. Sed alio modo sumitur quantitas apud aliquos aequivoce pro magnitudine intensiva vel extensiva, sicut unum pedale terrenum dicitur esse magis quantum extensive quam semipedale eiusdem, et pedale terrenum dicitur esse magis quantum intensive quam pedale aereum; sicut dies est maior extensive quam hora. Tertio modo, quo est praedicamentum, sumitur pro accidente absoluto de se habente partes extra partes, secundum quod substantia denominatur formaliter quanta vel mobilis, magna vel multa, durans aut localiter situata. Et voco “accidens absolutum” quod ab intrinseco inest subiecto, denominans ipsum denominatione absoluta. Et dicitur accidens ab intrinseco inesse quod non dependet obiective et essentialiter secundum aliquod individuum suae speciei nisi ab eius subiecto primo et causis eiusdem, ut quantitas non dependet nisi a subiecto quanto et causis illius subiecti quanti. Et lumen quamvis dependeat a sole, non tamen dependet ab eo obiective, cum non denominat subiectum suum aliqua denominatione respectiva terminata ad solem obiective. Et ita de aliis. Accidens autem respectivum secundum aliquod individuum suae speciei dependet obiective ab aliquo extra suum subiectum. Et ideo dicuntur accidentia respectiva quia in suis denominationibus respiciunt obiecta praeter sua subiecta prima, ut quando obiective dependet a tempore et ubi a loco, et ita de aliis. Non tamen derogat hoc absoluto, quod ipsum dependeat a respectu. Sic enim dependent mixta ex proportione elementorum, color ex commixtione lucidi cum opaco, tempus ex motu, Immo quaelibet substantia creata a volitione primae <f. 106v> causae. Nulla tamen substantia obiective dependet ab aliquo. Illud enim obiective dependet ab aliquo quod requirit in denominando suum subiectum aliquod ens praeter subiectum ad quod principaliter terminatur eius denominatio. Et patet quod nullum accidens dependet obiective ab aliquo extra suum subiectum, nisi fuerit accidens re-

spectivum. Patet ergo quod quantitas eo quod absolutum sufficienter distinguitur a generibus respectivis, et in hoc quod de se habet partes extra partes distinguitur a qualitate.

Dividitur istud capitulum in tres partes, in quarum prima, ponendo divisionem quantitatis declarat eius species et distinguit illas ab invicem; secundo ponit differentiam inter per se quanta et per accidens quanta; et tertio enumerat tres proprietates quae competunt quantitati.

Prima divisio textus est haec: quantitatis aliud continuum aliud discretum. Et quamvis grammatici ponerent hanc orationem esse incongrua, verumtamen non sine causa ponitur iste terminus ‘quantitatis’ singulariter et ly ‘aliud’ in neutro genere ad significandum fortassis quod proprium est quantitati abstractum dici de concreto.

Pro quo notandum quod aliquod est concretum significans rem denominatam et distinctam a re significata per suum abstractum; et tunc quando praedicatur unum de reliquo in recto in suppositione personali utrobique mediante verbo essendi est praedicatio impossibilis, ut est talis praedicatio “albedo est alba”, “actio est agens”, “intellectus est intelligens” et similia. Sed alia sunt concreta significantia communiter rationem communem tam rei significatae per abstractum quam rei subiectae, ut esse quantum est commune tam quantitati quam subiecto quanto. Et talia concreta praedicantur in suppositione personali de suis abstractis, ut conceditur quod quantitas est quanta. Sed tertii generis sunt concreta quae significant primarie idem quod abstractum sola voce discrepantia, cuiusmodi sunt ista: ‘substantia’ ‘substantialitas’, ‘homo’ ‘humanitas’ et similia. Et talia praedicantur de se invicem, ut conceditur quod homo est humanitas. Res tamen absolutius concipitur per abstractum tale quam per suum concretum. Et sic alio modo significant huiusmodi abstracta quam concreta, quamvis idem <f. 107r>. Et de talibus est verum quod si concretum de concreto et abstractum de abstracto dicitur, immo generaliter quandocumque est praedicatio in quid concreti de concreto praedicatur et abstractum de abstracto, vel quandocumque praedicatur concretum alicuius generis de concreto per se speciei eiusdem generis praedicatur et abstractum de abstracto. Ut sicut verum est quod homo est animal et album est coloratum, ita verum est quod humanitas est animalitas et albedo est color. Et si obiciatur quod [quod] nullum genus praedicatur denominative de suis speciebus, verum est loquendo de praedicatione denominativa propriissime dicta. Ad hoc enim requiritur, ut dictum est capitulo de denominativis, quod denominans foret accidentale denominato, cuiusmodi non est genus respectu suae speciei. Possunt tamen talia concreta sumi in suppositione simplici convertibiliter cum abstractis; et sic concedunt auctores quod albedo est alba. Possunt etiam sumi pro aggregatis per accidens ex substantiis et talibus accidentibus. Et sic

concedit Commentator, VIII *Metaphysicae*, commento 5°, quod calidum est compositum ex substantia et accidente.

Sed ulterius pro divisione quantitatis est notandum quod substantia quae est basis et fundamentum omnium aliorum generum habet esse permanens et habet esse successivum. Esse autem permanens substantiae aut est continuum esse aut esse discretum. Et similiter esse successivum aut est continuum aut esse discretum. Omnis autem quantitas habet rationem mensurae. Aliqua ergo quantitas mensurat esse substantiae permanens et continuum: et hoc secundum unam dimensionem tantum, et sic est linea; aut secundum duas, et sic est superficies; aut secundum tres, et sic quantitas corporea, quae dicitur corpus de genere quantitatis. Potest enim corpus sumi vel pro substantia corporea vel pro quantitate moli (*lectio dubia*) permanente, longa, lata et profunda, de qua nunc loquitur.

Omnes tamen istae tres maneries quantitatum habent rationem mensurandi intrinsece quo ad continentiam multiplicatis materiae sive multiplicatis indivisibilium, ut dicit Lincolnensis. Ideo secundum istos tres modos potest substantia quanta <f. 107v> mensurari ab extrinseco secundum suam **occupatitem** vel **repletinitem**, et sic est locus eius mensura, ut alius est locus linearis, et alius superficialis et alius corporeus. Sed esse substantiae permanens et discretum mensuratur per numerum et esse eius successivum et continuum mensuratur per tempus, et esse eius successivum discretum per quantitatem mensuratur quae vocatur oratio. Ita quod in permanentibus discretis est numerus, in successivis discretis oratio. Et sic patet sufficiens distinctio specierum quantitatis.

Dicitur ergo in textu quod quantitates continuae sunt linea, superficies, corpus et amplius praeter haec, scilicet quae mensurant intrinsece, locus et tempus sunt quantitates quae extrinsece mensurant. Quantitates vero discretae sunt numerus et oratio. Quo autem numerus sit de numero discretorum patet. Partium enim numeri nullus est communis terminus ad quem copules (id est: ad quem potes copulare eius particulas). Et hoc patet tam de partibus aliquotis quam de partibus non aliquotis. Nam quinque et quinque, quae sunt partes aliquotae respectu decem, ad nullum terminum communem copulantur, sicut nec tria et septem, quae sunt partes non aliquotae - sed semper discreta sunt et separata. Continuum enim, ut huiusmodi, habet partes sibi invicem immediatas, sed non sit discretum, cum stat unum esse discretum cuius una pars sit hic et alia Romae. Sed de isto posterius.

Notandum ergo quod pars aliquota est pars quae aliquotiens sumpta reddit aequaliter suum totum (id est, ad bonum intellectum: quae cum aliquot partibus sibi aequalibus non communicantibus integrat aequaliter suum totum); cuiusmodi est pars submultiplex ad suum totum, ut subdupla, subtripla,

et ita de aliis. Pars non aliquota est quae cum nullis sibi aequalibus non communicantibus simul sumptis constituit aliquid aequivalens suo toti, cuiusmodi sunt septem <et tria> respectu decem.

Sed de quidditate numeri huiusmodi qui est quantitas est discussio. Aliqui enim volunt quod non sit numerus distinctus contra res numeratas; sed omnis numerus est res numeratae. <f. 108r> Sed alii volunt, et melius, quod aliquis numerus sit quantitas qua formaliter dicuntur aliqua esse multa.

Pro quo notandum quod hoc nomen ‘numerus’ significat aliquando formam a qua res ponit in numerum cum aliis, immo largius pro omni re vel respectu quomodolibet mesurante; et isto modo intelligunt quidam Platonem definisse animam dicendo quod est numerus movens se, sicut Aristoteles vocat ipsam actum a quo compositum est in actu. Et talis vocatur ab Aristotele et Commentatore, IV *Physicorum*, “numerus numerans”, non solum numerans discreta calculando per intellectum, sed numerans et mesurans perfectionem, durationem, actionem et figuram sui compositi. Et sic omnis mensura est numerus sicut omne mesurare est numerare. Et sic intelligitur tempus esse numerum motus. Sed de numero isto nihil ad presens. Amplius secundo modo accipitur numero pro quodam ente quod fingitur facere res formaliter multas, quae foret substantia quaedam abstracta et idealis et principium rei coaeternum cum Deo, sicut dicitur Platonem intellexisse de numero. Tertio modo dicitur numerus materialis ipsae res numeratae per animam, Deum vel intelligentiam.

Et hoc potest tripliciter intelligi: vel pro quibuscumque rebus indifferenter computatis (*lectio dubia*) per animam, amplificando nomen transcendentis ad omnem multitudinem qualemcumque entium, quae nec requirit genus nec finitatem numeratorum. Sed secundo modo accipitur pro continuis computatis, quae sunt partes quantitativae componentes aliquod tertium. Et talis vocatur “numerus in potentia”, II *Physicorum*, commento 68°. Sed tertio modo accipitur pro continuis (cont^{is}) finite multis quorum nullum est pars alterius. Et talem vocat Aristoteles cum Commentatore, ubi supra, “numerum in actu”. Et talem numerum ponunt aliqui esse subiectum quantitatis discretae, cuius quaelibet unitas est indivisibilis secundum multitudinem. Et patet quod ad esse talis numeri requiruntur tria. Primo quod quodlibet istorum numeratorum sit quantum; secundo quod quodlibet istorum sit per se ens; et tertio quod sint tantum finita secundum multitudinem. Et ut dicit Aristoteles repugnat esse infinitum. Nec est talis numerus quantitas, quamvis sit quantus. Immo, secundum aliquos, non est aliquid nec ens, sed entia, nec est unum, sed multa. Et sic concedunt tales conclusiones: aliquis <f. 108v> est numerus qui non habet partem nec partes, ut numerus qui est duo puncta; et aliquis <in> infinitum divisibilis in partes,

sed nullam partem habet, ut numerus qui est duo homine; et aliquis est numerus habens partem et partes, ut numerus qui est Sortes et eius medietas.

Sed aliis placet numerum sic materialiter dictum esse unum aggregative et ens aggregatum. Et sic concedunt quod omnia sunt unum et duo etc.; et quod duo sunt tria; ternarius quaternarius; immo infinita quo ad nos numeraliter finita. Numeraliter enim viginti sunt decem, numerando semper duo simul; et eadem viginti sunt quinque, numerando semper quattuor simul. Et sic vocando omne ens partialiter numeratum vel ens de numero aggregati eius partem, conceditur quod talis numerus habet partem et partes, cum binarius qui est duo puncta habet utrumque istorum pro parte sua numerali.

Et alii admittendo sensum collectivum cum terminis appellativis concedunt quod aggregatum ex duobus hominibus est homo. Et dicit Porphyrius quod participatione speciei plures homines sunt unus homo, quia unus homo aggregatus. Sic enim concedunt Sophistae quod est dare potentiam aggregatam ex potentiis diversorum et proportionem aggregatam, et sic de similibus.

Et quarto dicitur a quibusdam quod numerus sic materialiter dictu est quantitas discreta, sed non est quantitas. Sed illud videtur contra sententiam textus; ideo quarto sumitur numerus pro multitudine qua aliqua dicuntur formaliter multa, et talis est quantitas discreta. Et illam aliqui dicunt non esse aliquid, sed sibi correspondere tale complexum: aliqua esse multa. Sed dicitur concedendo quod talis numerus est aliquid, quamvis correspondeat tali complexa, cum quid, secundum Aristotelem, VII *Metaphysicae*, sit commune ad decem genera.

Et ulterius est duplex via, iuxta duplicem viam dictam de substantia. Aliqui enim, ponentes substantiam corpoream esse genus supremum substantiae, ponunt quod numerus qui est quantitas est multitudo solum substantiarum materialium per se entium. Alii <f. 109r> ponunt qualemcumque multitudinem substantiarum per se entium esse numerum qui est quantitas, semper loquendo de per se ente ut excludit partialem inexistenciam qualitativam vel quantitativam. Nec componitur talis numerus ex huiusmodi substantiis, sed ex earum unitatibus.

Pro cuius cognitione notandum quod unitas aliquando accipitur transcendenter pro omni ente, ut patet per Commentatorem, X *Metaphysicae*, commento 5^o, et isto modo quaelibet res est essentialiter una. Illa enim unitas nihil ponit nisi rem esse et illam non esse opposito modo multa divisim, ut ego non sum multi homines et species humana, quae est una species, non est multae (multi *ms.*) species et genus generalissimum est sic unum quod ipsum non est multa genera generalissima. Et dico “divisim” quia, licet totum integrale, ut probabiliter ponitur, sit suae partes, hoc tamen est coniunctim, non divisim. Et dico “non opposito modo” quia, licet species humana sit multa individua, tamen secundum mo-

dum quo ipsa est una ipsa non est opposito modo multa, ut cum sit una species non est multae species. Ipsa enim non est, stricte loquendo, una numero. Secundo modo capitur unitas prout est principium numeri, quae dicit rem esse substantiam et non esse partem qualitativam aut quantitativam alterius substantiae. Et isto modo prius est substantia naturaliter quam sit una, nec est dare diversas unitates quibus homo est unus duorum hominum, et trium et quattuor, sed eadem unitate est unus homo duorum et trium etc. Nam me esse unum istorum ponit unitatem qua ego sum unus, et nullum accidens ultra, quod est me, numerari cum istis. Idem enim est me esse unum istorum et me esse numeratum inter ista.

Et diu fuit antquam percepi distinctionem inter unitatem quae est principium numeri et unitatem quae est transcendens. Nec mirum, cum ille magnus philosophus, Avicenna, hoc ignoravit, ut dicit Commentator, X *Metaphysicae*, commento 5°.

Largius tamen sumitur unitas prout unicuique rei competit quod ipsa sit per accidens una. Sed sicut numerus qui est ex unitatibus quantatum aut qualitatum aut <f. 109v> aliorum accidentium non est per se in genere quantitatis, sic nec unitates talium generum sunt principia quantitatis discretas. Et si quaeritur de subiecto numeri qui est quantitas discreta, dicitur quod est subiective in numero tertio modo dicto.

Similiter autem et oratio est de numero discretorum. Nam quod oratio, id est: mensura orationis, sit quantitas probatur. Nam omne tale est quantitas quod primo et secundum adaequationem mensurat alicuius longitudinem vel brevitatem; sed partes orationis mensurantur secundum longitudinem et brevitatem, cum una syllaba mensuratur longa et alia brevis; ergo mensura totalis orationis cuius partes correspondent partibus orationis est quantitas.

Et ut sciatur de qua oratione intelligit subinfert: *Dico autem orationem cum voce prolatam* (id est: cum vociferatione prolatam), *cuius scilicet mensura est quantitas.*

Et quod sit discreta probatur, quia ad nullum terminum communem copulantur eius partes vel particulae. Nam syllabae talis orationis prolatae non continue subi invicem succedunt in prolatione; sed est interemptio. Sicut enim tremor qui est per se causa vocis non est motus unus et continuus, sed discretus, ita nec vox; et per consequens nec mensura vocis secundum prolationem potest esse continua, sed discreta.

Ubi primo notandum quod Aristoteles hic ponit nomen mensurati pro nomine mensurae quando dicit quod oratio est quantitas, ita quod sit sensus: mensura orationis est quantitas - quamvis alii dicant orationem aequivoce sumi pro propositione vel signo et pro mensura discreta orationis prolatae. Dicitur enim oratio ethymologice quasi “oris ratio” (id est: ratio et mensura istius quod ab ore profertur). Et

hoc est probabile, quamvis tertio dicant quidam quod oratio est qualitas secundum unam rationem et quantitas secundum aliam. Et concedunt sic quod qualitas est quantitas. Sed hoc non multum approbo, cum secundum Aristotelem, I *Posteriorum*, illa propositio est vera et immediata in qua removetur unum praedicamentum ab alio, ut “nulla substantia est quantitas”, “nulla qualitas est quantitas” Et ita de aliis dicentibus quod oratio est quantitas discreta, <f. 110r> sed non est quantitas. Non enim foret discretio differentia quantitatis si de nulla specie quantitatis posset praedicari.

Sed secundo notandum quod non est pertinens hic loqui de oratione mentali, eo quod talis vel est qualitas vel aggregatum ex qualitatibus permanens, cuius quantitas non differt a multiplicitate quae est numerus. Immo nec talis oratio composita ex intentionibus rerum habet syllabas longas vel breves. Quod si componitur ex intentionibus vocum adhuc manet indivisibilis secundum molem, non habens syllabas breves vel longas, quamvis significet vocem extra sic habentem. Nec secundo fuit pertinens loqui de oratione scripta, quia ipsa etiam aut est substantia aut figura et aggregatum ex huiusmodi substantiis vel figuris. Et sic eius magnitudo non differt a numero qui est multitudo aut a quantitate continua permanente. Ideo exprimit Aristoteles quod loquitur de oratione prolata.

Ubi tertio notandum, iuxta considerationem grammaticorum, quod longitudo vel brevitasyllabae non est aliquod absolutum in syllaba inexistens ei a natura, sed quia in certa pronuntiatione vocum viderunt antiqui grammatici animam delectari ex impositione ordinaverunt aliquam syllabam longo tempore pronuntiari, quam longam vocaverunt, et aliam minori statuerunt tempore proferri debere, quam vocaverunt syllabam brevem. Et sic dicunt pedem dactilicum et spondeum seu spondaicum esse temporum quattuor et jambicum aut trocheum esse temporum trium. Ita quod syllaba longa habet duplum tempus ad syllabam brevem pro mensura suae prolationis.

Sicut tamen diversi homines diversimode sunt dispositi in loquela velocius aut tardius ad loquendum, sic dicunt habere correspondenter diversa temporum spatia, ita ut contingat tempus quod est mensura syllabae brevis quod ad unum hominem esse duo tempora quo ad alium, et correspondenter syllabae productae. Semper tamen in sermonibus metricis deberent syllabae tali moderatione proferri ut quantum tempus consumaretur in prolatione syllabae productae subduplum tempus non praecise, sed proprie secundum estimationem, consumaretur in prolatione syllabae brevis. <f. 110v> Et tunc aggregatum ex huiusmodi temporibus intercisis (*lectio dubia*), inter quae tempora cadit talis interemptio est mensura talis orationis prolatae. Nec est illa mensura tali orationi prolatae appropriata, sed talem mensuram contingit dare quibuscumque substantiis aut corporibus discrete successivis, ut capiendo aggregatum ex quattuor phoenicibus sibi invicem succedentibus, inter quorum periodos cadit interemptio.

Dicitur quod aggregatum ex quattuor temporibus quae mensurabunt quattuor phoenicum periodos erit mensura successiva discreta respectu aggregati ex illis phoenicibus, et ita de aliis. Nec contendo sive vocetur talis mensura oratio sive non. Quod si dicatur illum aggregatum non esse unum nisi aggregative nec distingui nisi secundum rationem a tempore, dicitur concedendo quod illud aggregatum est tempus discretum et unum. Est tamen quantitas, nec oportet quod sit quantitas non aggregative una.

Et si arguitur quod idem incipiet esse multotiens et desinet esse et componetur ex non entibus, dicitur concedendo, sicut multi concedunt de tempore continuo, quod ipsum componitur ex non entibus, nec est inconueniens quod idem redibit post partialem sui corruptionem. Et ita conceditur quod est dare substantiam successivam; aliter enim non maneret eadem civitas oxoniensis per diem nec aliquis idem ordo per completam sui periodum. Aggregatum enim ex omnibus hominibus regulam talis ordinis profitentibus qui successive erunt vel fuerunt potest dici talis ordo manet continue idem licet partes successive adveniant seu recedant.

Et sic videtur mihi tales ordines aliquando nocere et aliquando prodesse, cum aliqua pars aliquando sit confederata in bonum et alia pars secundum successionem alias (a^{as}) confederata in malum.

Et si dicatur quod ordo est aggregatum ex veritatibus (verib^{us}) et ritibus secundum quos habent vivere sic professi, tunc videtur mihi per novas dispensationes adhibitias novos fieri ordines, quorum maxima stat differentia in ritibus adinventis. Nam cum in essentialibus votis non differant (drnat), stat <f. 111r> per dispensationes successive superinductas tales professos iterum fieri laicos sicut fuerunt pro maiori parte. Secundum ergo talem successionem dicimus regulam (reg^m) universitatem et civitatem. Immo ignem per appositionem combustibilium continue manere eadem secundum aggregationem successivam vel discretam.

Sicut igitur alii ponunt omnem locum esse superficiem, et sic non esse quinque species quantitatis distinctas specificice, sic potest dici et probabilius de huiusmodi quantitate discreta successiva quod ipsa est tempus, quamvis ipsa non sit continuum sed discretum. Verumtamen, quia de oratione videtur esse manifestissimum quod ipsa in sua prolatione non est continue successiva, ideo potius locutus est Aristoteles de huiusmodi mensura discreta quam dicimus communiter orationem, comparando ipsam ad orationem prolatam quam ad alias res discretas successivas. Si alii invenerint quid verius sit ista oratio quae vocatur quantitas discreta quam sit iam dictum placet mihi. Istam tamen viam multotiens scrutatus sum in antiquis expositoribus et non inveni illam nisi in uno antiquo expositore, gaudebam de te-

stimonio adinvento quoniam nondum inveni aliam viam plus mihi placidam et apertam, quamvis cum diligentia sum scrutatus.

Ampliantes autem verba ad esse, fuisse et fore leviter et sine verborum intricatione locuuntur in ista materia de discrete successivis. Sed alii non sic ampliantes dicunt omnem terminum significantem circumstantiam temporis esse ampliativum, ut concedunt quod tempus causatur et componitur illis quae non sunt, et hoc instans praesens copulat et terminat illa quae non sunt, sicut est inter illa quae non sunt; et ita de aliis.

Scio etiam quod multae rationes sophisticae licet non insolubiles possunt adduci in contrarium huius viae superius recitatae, quas hic per transeo gratia brevitatis.

Linea vero. Hic consequenter probat quinque species superius enumeratas esse quantitates continuas. Et primo de linea. <f. 111v> Est enim linea continuum, quia partes eius copulantur ad terminum communem, qui est punctus. Superficie etiam est continua cuius partes copulantur ad terminum communem, qui est linea. Et ita de corpore respectu superficiei et de tempore respectu instantis. Copulantur enim praeteritum tempus et futurum ad instans praesens. Et ita de loco. Nam singulae particulae corporis obtinent singulas particulas loci, et ideo partes loci copulantur ad eosdem terminos ad quos copulantur partes corporis locati.

Sed hic notandum quod communis ratio continuorum est componi ex partibus sibi invicem immediatis aut secundum situm aut secundum durationem. Discreta autem talem immediationem non requirunt. Ideo dicit Philosophus quod continua sunt quorum ultima sunt unum secundum immediationem. Et sic idem est habere partes copulatas ad terminum communem et habere partem aliquam cui immediate succedit secundum situm vel durationem alia pars - quamvis hoc non sit commune omni continuo, iuxta positionem continui componi ex non quantis. Et sic haec descriptio non est nisi quaedam notificatio de sensibilibus ad manuducendum juvenes in distinctionem continui et discreti. De quolibet enim continuo divisibili et sensibili est verum quod est assignare partem cui immediate succedit alia pars et quam immediate praecedat alia pars. Sic enim est tempus continuum quod ad instans significandum cuius intrinsecum immediate terminatur aliqua pars et ab eodem instanti immediate incipit esse aliqua pars eiusdem temporis et non ad alium sensum copulat illud instans illas partes ad invicem, eo quod, iuxta communem scholam, neutra illarum partium est pro illo instanti.

Ulterius dubitatur de linea, puncto et superficie quomodo sint ponenda aut quae sunt eorum subiecta adaequata. Pro quo notandum quod aliquis est punctus naturalis et aliquis punctus mathematicus. Est autem naturalis punctus quantitas minime sensibilis secundum trinam dimensionem, ut supple quae

est sub minimo gradu sensibili longa, lata et profunda. Sed punctus mathematicus est indivisibile <f. 112r> situatum cum positione lineae, cuius primum subiectum est substantia punctualis. Vel, secundum alios, punctus mathematicus est substantiae materialis indivisibilitas quo ad molem (id est: substantiam materialem esse punctualem). Et conformiter dicendum est de linea naturali, quae est quantitas moli permanens, sensibiler longa, sed sub minimo gradu sensibili lata et profunda; sed linea mathematica est quantitas permanens moli, longa, non lata nec profunda. Patet ista distinctio per Vitellionem (Vitellionem *ms.*) in *Perspectiva* sua, libro secundo, conclusione 3^a. Superficies autem naturalis est quantitas sensibiler longa et lata, sed sub minimo gradu sensibili profunda; et superficies mathematica est quantitas moli permanens, longa et lata, sed non profunda. Subiectum autem primum superficiei vel lineae mathematicae est substantia superficialis vel substantia linearis. Sed de puncto, linea vel superficie naturali pertinet ad naturalem vel geometram tractare. De puncto vero linea vel superficie mathematicis tractat proprie mathematicus. Ideo naturalis, ut huiusmodi, non poneret quantum continuum componi ex non quantis, quamvis mathematicus hoc probabiliter satis ponat. Sed de ista materia vide super *Sex principia*.

Uterius pro quidditate temporis est notandum quod tempus non est aliud nisi duratio mundi in esse transcendentali, capiendo mundum pro aggregato ex omnibus corporibus, quem mundum philosophi posuerunt animatum anima rationali et esse animal immortale, et sic non corrumpi per corruptionem suarum partium in sphaera corruptibilium. Nec ex isto sequitur quod animal diceretur aequivoce de illo animali e de animalibus corruptibilibus plus quam sequitur quod corpus vel substantia dicitur aequivoce de eisdem. Verumtamen caelum ipsum, quamvis dicatur animal, non tamen foret sensibile, sicut nec anima eius foret actus corporis physici habentis vitam in potentia, quia definitio animalis est esse corpus **cogitum** et non esse corpus sensibile; et definitio animae est quod sit actus corporis **cogiti** et ita de aliis quae communiter restringuntur per Aristotelem ad sublunaria <f. 112v>, de quibus habet naturalis verisimilem coniecturam. Uterius redeundo dicitur quod tempus non est extensum, sed multiplicatum et subiective in mundo, sicut et instans, quod est mundum instanter aut indivisibiliter durare in esse transmutabili.

Praeterea pro quidditate loci de quo loquitur hic Aristoteles est notandum quod locus aliquando capitur pro corpore locante, et sic dicit Philosophus ignem esse locum aeris, et aerem esse locum aquae. Et ita loquitur vulgus communiter de loco. Sed secundo sumitur locus pro aliquo quod est origo vel principium cognoscendi quomodo aliquid est locatum; et isto modo fortassis intelligit Commentator in IV *Physicorum* ponens caelum esse in loco per suum centrum. Sed tertio modo sumitur locus pro cor-

pore in quo consistit alicuius substantiae spiritualis perfectissima operatio; et isto modo dicit Philosophus, I *De caelo*, caelum esse locum Dei, et communiter dicitur corpus humanum esse locum animae. Sed quarto modo sumitur pro virtute influxa conservativa locati; et sic dicit Porphyrius quod locus est uniuscuiusque generationis principium: Sed quinto modo accipitur locus pro aggregato ex superficie extrema corporis continentis aliquod locatum, et respectu illius superficiei ad polos mundi et centrum terrae. Et sic describitur in IV *Physicorum* ab Aristotele quod est ultimum corporis continentis immobile principium extra locatum. Est enim immobile, cum non stat illud moveri nisi habeat novum respectum ad polos mundi vel centrum terrae. Et sic non movet idem aggregatum, et est primum extra locatum sicut est ultimum corporis locantis. Sed sexto modo sumitur locus pro situ seu spatio diffuso per totum locatum, cuius singulae particulae, sicut dixit textus, obtinent singulas particulas corporis. Et describitur isto modo: locus est quantitas immobilis, permanens, denominans formaliter aliquid locari. Et illum vocat Commentator vacuum, I *De caelo*, commento 6°.

Nec obstat quod Aristoteles arguit in *Physicis* non esse ponendum vacuum, quia hoc est ad sensum aequivocum. Vel aliter <f. 113r> hic tamquam logicus loquitur probabiliter sequendo Archytam, quem ut plurimum sequitur in hoc libello, et in *Physicis* loquitur naturaliter.

Et secundum aliquos septimo modo sumitur locus pro situatione seu locatione substantiae materialis in comparatione ad extrinsecum. Et sic situs sexto modo differt a situ septimo modo dicto, sicut positio quae est differentia quantitatis differt a positione quae est praedicamentum, sicut patet per Commentatorem V *Metaphysicae*, commento 24°.

Sed de situ sexto modo dicto est dubium quae sunt eius per se causae individuantes et quod est subiectum eius primum. Pro quo olim dixi quod est unum corpus subtile diffusum per totum mundum, fixum et immobile, coextensum cum omni corpore et ab omni mobili penetrabile ipso manente continue eodem, non corrupto nec discontinuato, sicut theologi loquuntur de corporibus glorificatis, cuius partes individuant et substant partiales situs, et totum individuat et substant totalem situm mundi. Et mediante isto corpore subtili copulatur anima mundi ipsi mundo, sicut mediantibus **spu^bus** in animali copulatur anima eius corpori.

Et quo ad textus Aristotelis in *Physicis* de vacuo, ubi probat ipsum non posse esse eo quod tunc dimensiones penetrarent se mutuo, certum est quod non plus procedunt contra hanc viam quam contra nostros theologos ponentes corpora glorificata posse penetrare caelum aut quodcumque corpus signabile sine alterius corporis corruptione. Potest tamen dici, glossando Aristotelem, quod, cum quantitas non

sit de genere activorum, impossibile est locum aut quantitatem per se existentem sine corpore penetrare aliam consimilem quantitatem.

Sed aliter dicunt alii quod situs illius corporis corrumpitur corrupto aut moto isto corpore. Et sic duo corpora non possunt succedere sibi invicem in eodem situ numero, sed solum specie.

Sed tertio dicitur quod tria sunt mundi principia, videlicet duo poli et centrum terrae, per se situata; ita quod istae tres situs per se individuatur a suis subiectis <f. 113v> signatis, intantum ut si mundus per (pro *ms.*) impossibile moveretur simpliciter motu recto, adhuc manerent isti situs idem. Ex quo patet quod contradictio foret huic viae quod mundus sic moveretur. Ulterius dicitur quod omnes alii situs partiales individuatur ab istis tribus sitibus per respectus diversos ad eosdem, eo quod impossibile est aliquod duos situs partiales omnino aequaliter respicere istos tres situs. Nec est inconveniens situm, quamvis sit absolutum, dependere a talibus respectibus, cum omnis res causata dependet a respectu. Sic enim dependet substantia a causatione primae causae et mixtum ex proportione qualitatum primarum. Et ita dependet situs et distinguitur ab aliis sitibus ex diversitate respectuum ad ista tria principia nominata.

Et si arguitur quod substantia non dependet a causatione primae causae nec situs a respectu, cum tam substantia sit prius tali causatione et situs tali respectu, cum causent illos obiective, dicitur quod non repugnat aliqua causare se reciproce in diversis generibus causandi, cum, secundum Aristotelem, II *Physicorum*, labor est causa efficiens sanitatis et sanitas est causa finalis laboris. Sic conceditur quod causatio Dei sit prior ista substantia, cum sit eius causa efficiens, et e contra haec substantia est causa obiectiva istius causationis, et sic prius ista. Et ita situs est prior obiective tali respectu et talis respectus est prius efficienter. Et si arguitur ex illo quod illi situs prius sese respiciunt quam sunt, quod est contradictio, dicitur negando consequentiam. Sed conceditur quod ista tria principia nominata prius naturaliter respiciunt illum situm nominatum quam iste situs respicit ista tria. Sicut Deus prius naturaliter causat .a. quam .a. causatur a Deo, sic respectus a quo situs dependet est activa respicientia alicuius illorum priorum principiorum aut omnium simul qua respiciunt illum situm. Et patet quomodo unus distinguitur et individuatur ab alio.

Sed ulterius est altercatio de subiecto primo illius situs. Pro quo dicunt aliqui quod subiectatur per accidens in quolibet contento <f. 114r> in eodem situ, et per se primo subiectatur in communi ad omnia sic locabilia sub eisdem respectibus ad illa tria principia respicientia. Alii dicunt quod subiectum primum istius situs est aggregatum ex illo communi et respectibus illis ad ista tria principia, nec obiective, ut dicunt, quamvis idem sit accidens singulare quod subiectatur in communi. Alii dicunt quod

mundus est subiectum primum situs sicut est subiectum primum temporis, cum situs non sit aliud quam mundum habere partes, vel sic situari secundum se vel secundum partem. Et propter difficultates de assignando primo subiecto situs, dicitur a multis quod non est talis situs ponendus.

Ideo videtur mihi quod si foret accidens ponendum sine subiecto primo potissime foret situs vel tempus; et forte hoc intendebant antiqui ponentes vacuum. Et ita Aristoteles in proposito procedens probabiliter et logice intendebat forte in praesenti. Non tamen sequitur quod possibile esset accidens esse sine subiecto aliquo, cum ad minimum haberet subiectum per accidens – sicut enim dicit communis schola quod punctus, linea et superficies non primo subiectantur in aliquo subiecto, sed solum per accidens. Nec habet talis situs dimensiones proprias, cum dimensiones suae sunt eadem cum dimensionibus locati in eodem. Et sic est per accidens dimensionatus istis dimensionibus, quamvis sit per se quantus dimensionibus in communi. Et ideo dicunt alii quod huiusmodi vacuum non est substantia nec accidens, eo quod si per se esset sicut apparet eis possibile non foret quantum nec alias aliquammodo absolute activum (*lectio dubia*). Et sic nec magnum nec parvum, cum sit per accidens magnum ad magnitudinem locati. Et ita de aliis fugis et evasionibus infinitis. Tertia tamen via inter quattuor ultimo recitata apparet mihi probabilior pro praesenti, cum non concipio esse de intentione <f. 114v> philosophorum quod accidens posset esse sine subiecto, vel quomodolibet huiusmodi vacuum sit ponendum.

Sed circa istam partem istius capituli dubitatur quomodo quantitas est genus unum, cum in omni genere uno sit unum primum quod est metrum et mensura omnium aliorum in eodem genere, ex X *Metaphysicae*; sed in iso genere sunt duo prima, quia punctus et unitas.

Secundo quod omne genus est divisibile in duas partes coaequevas; sed non sic quantitas, eo quod quantitas discreta sit prior quam continua - immo et sibi competit primo ratio mensurae, quae est prima ratio quantitatis, cum in numeris inveniatur prima ratio mensurandi.

Sed ad primum dicitur breviter quod auctoritas illa vult quod in omni genere sit unum simplicissimum aut alias una species perfectissima secundum quam mensurantur omnes perfectiones aliarum specierum. Unitas autem est simplicior puncto, cum punctus sit substantiae materialis indivisibilitas quod ad molem, unitas autem non includit rationem positionis in sua descriptione.

Ad secundum patet ex dictis quod non repugnat rationi generis dici prius de uno genere quam de reliquo subalterno; sed non stat ipsum participari secundum maius et minus a suis per se inferioribus. Hoc tamen oportet ut genus supremum sit divisibile in duo genera vel species coaequevas, sic videlicet quod unum sine contradictione staret esse sine alio, et e contra; ita quod neutrum in essendo includatur formaliter et de necessitate in altero, et non ex uno sequatur reliquum formaliter. Ut imaginato

quod solum pedale esset cum Deo, non foret quantitas discreta, ut patet ex praedictis, et tamen foret quantitas continua. Et conformiter imaginato quod essent solum duo anguli cum Deo in aevo et non in tempore foret numerus et non quantitas continua.

Vel dicuntur species coaequae quae adaequate et ex aequo dividunt illud genus. <f. 115r> Non enim oportet ad hoc quod sint coaequae quod sint semper aequae perfectae, quia communiter contingit oppositum. Sed satis est quod ex aequo dividunt genus adaequate.

Sed ultra notandum quod est mensurare secundum replicationem et mensurare secundum adaequationem. Dicitur ergo quod omne mensurare secundum adaequationem reperitur aequae primo in quantitate continua sicut discreta. Nam subiectum quantum mensuratur adaequate per suam quantitatem in esse quanto (*lectio dubia*) et aggregatum quo ad esse multum mensuratur adaequate per numerum. Sed mensurare secundum replicationem invenitur principaliter in numeris, cum ex numeris sciatur principaliter quotiens unum mensuratum contineat mensurans secundum replicationem. Et patet solutio. Amplius alia quidem constant. Hic ponitur alia divisio quantitatis generalis, quae est haec: quod aliquae quantitates constant ex partibus habentibus positionem ad invicem et alia ex non habentibus positionem talem ad invicem. Et exemplificat: nam partes lineae habent positionem ad invicem, cum quaelibet eius pars est sita alicubi, cum potes assignare ubi unaquaeque pars lineae sita sit in plano (id est: in superficie). Et conformiter de partibus plani (id est: superficiei) et soliditatis (id est: quantitatis corporeae). Similiter etiam et loci. Secundo exemplificat de quantitibus quae non constant ex partibus habentibus positionem, dicens quod in numero non potest quis prospicere quomodo particulae eius habeant positionem ad invicem, cum partes numeri non requirunt essentialiter aliquam immediationem secundum situm. Sed nec partes temporis, eo quod non permaneant, possunt dici habere positionem, cum idem tempus sit in omni situ, tamen partes temporis habent quemdam ordinem, ut aliqua pars dicatur prior et aliqua posterior. Sic enim habent partes numeri ordinem quemdam in numerando, sed positionem non multum participant. Sed oratio similiter, eo quod particulae eius non permanent, sed quod dictum est non potest amplius sumi; ideo non constat <f. 115v> ex partibus habentibus positionem. Ex quo patet error quondam fingentium orationem vocalem manere post completam sui generationem in aere et esse pro tunc rem permanentem. Tunc enim constaret ex partibus habentibus positionem et componeretur ex suis partibus intensivis. Sed de isto super *Sex principia* dicetur plenius.

Pro isto notandum quod positio aliquando sumitur prout est differentia quantitatis et aliquando prout est praedicamentum. Nam prout est differentia quantitatis non dicit nisi absolutam ordinationem partium totius ad invicem. Sed prout est praedicamentum dicit ultra illam ordinationem comparisonem

ad aliquod extrinsecum, ut esto quod homo sedeat et homine sic curvato et ordinato quo ad suas partes fiat vacuum per totum mundum de imaginatione solo homine servato cum suo situ, adhuc maneret eadem absoluta ordinatio partium istius hominis et tamen non plus maneret sessio quam si anus poneretur versus sursum mundo existente sicut nunc existit. Ad sessionem enim requiritur ordinatio partium quo ad extrinseca et quod habeat caput versus sursum et genua vel coxas curvatas ac posteriores partes versus deorsum. Et ultra hoc illa positio quae est praedicamentum distinguitur ab ubi, cum homine sedente in navi mota manet continue eadem positio, sed non idem ubi; ideo dicit auctor quod inter sex genera respectiva positio maxime proprie assistit substantiae materiali.

Et haec sufficiant pro prima parte huius capituli.

Propriae autem. Haec est secunda pars huius capituli, in qua distinguuntur per se quanta a per accidens quantis, aut, ut alii volunt, quantitatem absolutam distingui a quantitate respectiva. Nam propriae et absolutae sunt solum quantitates enumeratae vel consimiles in specie. Alia vero omnia dicuntur per accidens quanta. Nam et alias quantitates respectivas non vocamus quantitates, nisi aspicientes ad hae quae sunt per se quantitates. Nam quantitas <f. 116r> albedinis qua ipsa dicitur formaliter et appropriate quanta non est aliud nisi ipsam habere subiectum quantum. Et illud est respectus et longitudo actionis non est nisi respectus quo denominatur esse in tempore longo; et ita de magnitudine motus. Quia nullum istorum dicitur per se quantitas (id est: quantitas absolute). ut si quis quaerat quanta sit actio tempore definiet respondendo quod est annua aut diurna. Et conformiter albedo dicitur pedalis aut tanta quia tantum est eius subiectum, sive fuerit superficies sive quodcumque aliud. Et patet differentia inter quantitates absolutas et respectivas.

Notandum quod dupliciter dicuntur aliqua quanta. Primo per se, sicut quantitates absolutae superius numeratae. Secundo modo per accidens, quod potest esse tripliciter. Primo dicitur aliquid quantum per accidens quod est subiectum formaliter quantum per suam quantitatem quam subiectat. Et sic sola substantia materialis est quanta per quantitatem, sicut e contra quantitas est quanta per substantiam talem causaliter sed non formaliter. Sed secundo modo dicitur quantum per accidens quod est accidens extensum per subiectum quantum. Et tertio (quarto *ms.*) modo dicitur aliquid quantum per accidens per respectum ad aliquid per se quantum, sicut angulus dicitur per accidens quantus in comparatione ad basim et actio quanta in comparatione ad tempus. Et sic motus dicitur habere duplicem magnitudinem, permanentem scilicet et successivam. Et ita de aliis.

<De proprietatibus quantitatis>

Amplius quantitati. Haec est secunda particula huius capituli in qua significantur tres proprietates quantitatis, quarum prima est quantitati nihil esse contrarium. Et hoc est verum loquendo de contrarietate accidentis, ut dictum est supra capitulo de substantia.

Sed notandum quod Aristoteles in huiusmodi propositionibus loquitur frequenter cum reduplicatione ut “substantiae nihil est contrarium” (id est: substantiae secundum rationem substantiae nihil est contrarium), et “quantitati nihil est contrarium” (id est: quantitati secundum absolutam rationem quantitatis nihil est contrarium), et ita de aliis. Et si instetur quod nec qualitati sub absoluta ratione qua est qualitas [non] est aliquid contrarium, dicitur concedendo. Verumtamen caliditati ut huiusmodi est aliquid contrarium, quia frigiditas, et albedini nigredo etc. Sed in quantitate <f.116v> secus est, quia nulla species quantitatis habet sub ea ratione qua huiusmodi aliquid sibi contrarium, ideo modificat Aristoteles hanc proprietatem ad quantitates sub certa specie limitatas dicens: *In definitis autem manifestum est quod nihil est contrarium, ut bicubito tricubitum non est contrarium absolute propter rationem specificam, nisi quis instet quod unum sub ratione qua maius opponitur alteri sub ratione qua minus; et sic dicatur quod multitudo contrariatur paucitati et magnitudo parvitati.* Sed, ut patebit capitulo de oppositis, oppositio maioris ad minus est oppositio relativa et non oppositio contraria. Ideo Aristoteles excludendo hanc responsionem ostendit primo magnitudinem et parvitatem et multitudinem et paucitatem non esse quantitates; secundo ostendit quod non sunt contraria. Dicit ergo primo: *Sed horum autem nihil est quantitas, sed magis dicuntur ad aliquid, et ideo non opponuntur contrarie sed relative.* Et quod haec dicuntur ad aliquid patet per hoc quod nihil [ut] communiter dicitur magnum absolute, sed in comparatione ad alius, ut mons dicitur magnus vel parvus respectu maioris sui generis et milium dicitur magnum respectu minoris sui generis. Nam si magnitudo et parvitas forent denominationes absolutae et contrariae numquam diceremus quod mons est parvus et milium magnum. Rursus, idem dicendum est de paucitate et multitudine. Nam dicimus quod in vico sunt multi homines, et etiam dicimus paucos in villa, cum tamen sunt eorum multiplicos - quod non staret nisi talia dicerentur relative ad invicem.

Amplius. Secundo probat idem. Nam omne quod est per se in genere quantitatis significat primo determinatam quantitatem, ut bicubitum, tricubitum et unum quodque similia. Sed magnum et parvum non sic significant, sed magis denominationem generalem et transcendentem; immo communiter dicuntur respective. Ergo non sunt quantitates.

Secundo probat per duas alias rationes quod si magnitudo et parvitas ponuntur quantitates, adhuc non sunt contraria, dicens: *Amplius, si quis ponat has esse quantitates nihil erit eis contrarium. Nam illud quod non contingit sumi per se ipsum* (id est: quod non est absolutum), <f.117r> *sed semper refertur ad aliud, quomodo haberet ipsum contrarium?* - quasi diceret: “nullo modo”. Est enim contrarietas, sicut patebit postea oppositio inter formas absolutas. Amplius, si magnitudo et parvitas erunt contraria, sequitur quod idem potest recipere contraria et quod idem est sibi ipsi contrarium, cum idem sit magnum et parvum, cum sit magnum ad unum et parvum ad aliud ipso maius, sequitur idem simul recipere contraria - quod est impossibile. Nam quamvis substantia, ut dictum est, possit suscipere contraria, non tamen simul tempore et primo, cum idem homo non potest simul tempore et primo esse albus et niger, aut sanus et (aut *ms.*) aeger <vel> infirmus, et ita de aliis. Et eadem etiam contingit sibi ipsis esse contraria, cum stat idem simul esse magnum et parvum. Si ergo impossibile est idem esse sibi ipsi contrarium, sequitur quod non est magnum parvo contrarium, quare etsi non ponantur quantitates sive ponantur, non tamen sunt opposita contraria. Dicitur ergo communiter quod magnitudo et parvitas sunt passiones quantitatis, ideo possunt sumi absolute et respective. Dicitur enim absolute magnum quod habet multam materiam, sive quod distat a non gradu magnitudinis, et parvum quod habet paucam materiam, vel quod est proprie non gradu magnitudinis. Vel aliter, ut dicunt alii, parvitas absolute concepta dicit carentiam quantitatis infinitae, sicut magnitudo dicit carentiam indivisibilitatis.

Sed respective dicitur magnum quod habet multam materiam in comparatione ad aliud. Et parvum dicitur quod habet parvam materiam in comparatione ad aliud assignatum, et iuxta primam viam conceditur quod omne parvum est magnum et e contra, ut caelum est magnum, mundus est parvus, et binarius magnum. Non tamen dicitur mundus parvus respectu maioris, sed quia finite distat a non gradu magnitudinis. Nec est concedendum quod parvitas est magnitudo; immo numquam concedendum est aliquid positivum esse formaliter suam privationem. Concedendum est tamen quod parvitas est magna, sed se ipsa est magna, et non magnitudine distincta. Nam magnitudo parvitas non est magnitudo nisi aequivocetur. Aequivocando enim nomen magnitudinis ad magnitudinem positivam et privativam, concederetur consequenter quod ad omnem punctum mundi foret quantalibet magnitudo. Unumquodque enim sicut minus habet de magnitudine positiva ita plus habet <f. 117v> de magnitudine privativa. Et sic concedunt quidam, aequivocantes magnitudinem ad magnitudinem molis et ad magnitudinem diurnitatis, quod quilibet (quaelibet *ms.*) punctus in caelo est infinite (infinite *ms.*) magnus, quia infinite (infinite *ms.*) diurnus. Et ita de aliis quae sequuntur.

Sed pro istis regulariter est tenendum quod tales termini qui possunt ita aequivoce sumi, semper in orationibus supponunt pro famosiori, nisi fiat alias limitatio; ut quia magnum molis est famosius significatum huius termini ‘magnum’ vel ‘infinite’ etc., non est concedendum similiter sine determinatione quod punctus est infinite (infi^m *ms.*) <vel> magnus, quamvis concedatur quod tempus est infinite, et Deus infinite, et punctus infinite duratione. In talibus enim est limitatio, quia per subiecta significantur res quibus non potest magnitudo molis competere, aut alias per alios appositos terminos ad sensum alium contrahentes.

Et quo ad comparisonem admittendam inter magnitudinem et parvitatem, dicitur quod illa, sicut et omnia entia mundi, sunt aliquo modo comparabilia. Nam aliqua possunt ad invicem comparari in denominationibus per se inexistentibus, ut duae quantitates comparantur in aequalitate. Et sic numquam comparantur ad invicem positivum et eius privatio, cum nulla sit per se denominatio utriusque. Sed secundo modo possunt aliqua comparari in absolutis accidentibus quae subiectant, ut duo homines in albedine et figura. Et sic non possunt habitus et privatio comparari. Tertio modo possunt aliqua comparari in denominationibus respectivis extrinsecis, ut duo homines in diuturnitate, propinquitate, utilitate, et sic de aliis. Et isto modo possunt magnitudo et parvitas ad invicem comparari. Sed quia esse magnum non competit eis nisi aequivoce, ideo constat quod non possunt in aliqua denominatione comparari ad invicem. Sic ergo magnitudo positiva non est maior nec minor nec aequalis cum aliqua parvitate.

Sed redeundo ad propositum dicitur quod quamvis magnum ut huiusmodi non contrarietur parvo ut huiusmodi, maioritas tamen et minoritas opponuntur ad invicem <f.118r> relative, ut dicitur posterius.

Maxime autem circa locum. Hic obicit Aristoteles contra hanc proprietatem assignatam: videtur circa locum maxime esse contrarietatem quantitatis; ponunt enim aliqui locum qui in medio est (id est: circa centrum terrae) esse deorsum et illum contrariari loco sursum, eo quod multa est distantia medii (id est: centri) ad terminos mundi. Et addit Aristoteles rationem sic ponentium, quae est quod sic ponentes videntur proferre definitionem aliorum contrariorum in his, videlicet in loco sursum et in loco deorsum. Determinant enim Philosophi illa esse contraria quae posita sunt sub eodem genere et maxime distant. Cum ergo locus sursum et locus deorsum posita sunt sub eodem genere, quia sub genere quantitatis, et maxime distant, videtur quod sunt contraria.

Istam objectionem non solvit Aristoteles, solvitur tamen satis per distinctionem contrarietatis supra capitulo de substantia; loquendo enim de contrarietate denominationis concedi potest quod diver-

sa loca opponuntur ad invicem non contrarietate activitatis, cum quantitatis non sit de genere activorum. Verumtamen illa oppositio quae est inter loca sic distantia non est oppositio contraria, proprie loquendo, sed oppositio relativa. Non enim opponuntur nisi per distantiam et propinquitatem, quae sunt relationes, vel per superioritatem vel inferioritatem, maioritatem vel minoritatem, et ita de aliis. Notandum tamen quod Philosophus dicendo quod contraria sunt illa quae maxime distant non loquitur de distantia locali, cum duae albedines simillimae possunt, ut sic, tantum distare sicut distant albedo et nigredo; sed loquitur de distantia latitudinali, ut maior est latitudo inter albedinem et nigredinem quam inter albedinem et fuscenedinem. Ideo dicitur quod aliqua est contrarietas completa, quae est inter formas maxime latitudinaliter distantes, quam Commentator vocat contrarietatem extremi ad extremum; alia est contrarietas incompleta, quam Commentator subdividit, eo quod aliqua talis est medii ad extremum et aliqua medii ad medium. Et sic fuscenedo contrariatur rubedini contrarietate <f.118v> incompleta, cum utrumque sit medium; similiter fuscenedo et albedo contrariantur contrarietate incompleta, cum unum sit medium et aliud extremum.

Sed non videtur quantitatem suscipere maius et minus. Et haec <est> secunda proprietas quantitatis. Sed videtur quod sic: nam unum corpus potest esse una vice maius et alia vice minus, sicut est una vice magis album, alia minus album. Sed pro isto dicitur quod tam qualitas quam quantitas suscipit maius et minus ad sensum limitatum capitulo de substantia, sed differenter. Nam quantitas secundum denominationes concretas generales praedicatur secundum maius et minus, et non secundum denominationes concretas speciales, ut conceditur quod una quantitas vel unum quantum est alia quantitate vel quanto maius, long<ius>, latius et profundius, et ita de aliis. Immo, idem corpus potest vicissim suscipere idem genus secundum maius et minus, sed non conceditur quod unum bicubitum est alio bicubito maius bicubitum, nec aliqua tria sunt aliis magis tria, et ita de aliis quantitibus ad certas species limitatas. Sed de qualitate est verum quod secundum denominationes concretas generales et secundum denominationes concretas speciales praedicatur secundum maius, ut conceditur quod una qualitas est alia intensior, et quod unum album est alio magis album. Et propter istam differentiam dicit Aristoteles quod quantitas non suscipit magis et minus, ad istum intellectum, quod nulla species determinata quantitatis praedicatur concrete cum magis et minus.

Et si obiciatur quod una res alia magis durat, ergo tempus, cum sit species, potest suscipere magis et minus ad sensum limitatum, dicitur quod esse diuturnum et durans non est concretum temporis, sed esse temporale, et secundum illud non praedicatur secundum magis et minus, cum omne temporale sit aequaliter temporale.

Proprium autem maxime quantitati est quod secundum eam aliqua dicuntur aequalia vel inaequalia. Et haec est tertia proprietas quantitatibus, et probatur ista inductive. Nam secundum singulas species quantitatibus enumeratas possunt <f.119r> aliqua dici aequalia vel inaequalia; ut secundum numerum possunt aliqua dici aequalia vel inaequalia in multitudine, et secundum tempus dicuntur aliqua aequalia vel inaequalia secundum durationem, et ita de aliis singulis speciebus quantitatibus. Secundum alia vero quae non sunt species quantitatibus non dicuntur aliqua esse aequalia vel inaequalia, quia secundum qualitatem quam vocat affectionem non dicuntur aliqua esse aequalia, sed magis similia; et sic de aliis praedicamentibus. Ergo etc.

Notandum tamen quod aequalitas et inaequalitas proprie sumuntur pro respectibus fundatis in quantitate, ut hic; sed large aliquando et improprie ampliantur ad omnem paritatem vel excessum in qualicumque denominatione. Et isto modo dicimus quod denominationes qualitatum sunt aequales, quod potentiae rerum, motus aut proportionibus sunt aequales.

Et haec est brevis sententia huius capituli.

<De relativis>

Ad aliquid vero talia dicuntur. Hoc est tertium capitulum huius secundae partis in quo tractatur de praedicamento relationis. Et dividitur istud capitulum in tres partes. In prima tractat quamdam descriptionem communem omnibus relativis; secundo ponuntur quattuor proprietates relativorum; et tertio motis quibusdam dubiis ponitur descriptio relativorum secundum esse.

Causa autem ordinis declarationis potest esse talis, eo ipso quo est quantitas et subiectum quantum sunt proportio et aequalitas vel inaequalitas, quae sunt relationes immediate et inseparabiliter consequentes; ideo consequenter ad determinationem quantitatis sequitur immediate determinatio de praedicamento relationis. Sed haec causa non [non] est trahenda in consequentiam, quamvis sit topice motiva.

Ubi primo sciendum est quid est relatio et quomodo ab aliis praedicamentis distinguatur. Pro quo notandum quod quamvis relatio apud grammaticos sumatur pro quadam recordatione conceptus relativi ad conceptum sui antecedentis quam grammatici vocant “antelatae rei recordationem”, apud logicos tamen sumitur aliquando pro actu intellectus referentis vel pro passione unius ad aliud per intellectum relati. <f.119v> Et sic est in praedicamento actionis vel passionis. Sed alias sumitur pro omni respectu unius entis ad aliud; et sic est analogum commune ad omnia genera respectiva. Sed tertio sumitur pro respectu inter duas substantias correlatas fundato in formalibus et absolutis denominationibus earundem, quas non stat esse cum huiusmodi denominationibus absolutis nisi insit eis respectus huiusmodi correspondens. Et sic est praedicamentum. Ut posito quod Sortes sit quadripedalis quantitatis et albus et Plato bipedalis et niger etc., patet quod tam Sortes quam Plato habent denominationem absolutam substantialem quod sunt homines, et impossibile est eos sic denominari nisi sit inter eos relatio convenientiae specifica vel identitatis. Habent secundo esse accidentale quod uterque istorum sit unum unitate quae est principium quantitatis discretae quod impossibile est eis inesse nisi differant numeraliter. Habent tertio denominationes absolutas tam a quantitibus suis quam etiam a qualitatibus suis quae sunt albedo et nigredo, quas impossibile est illis inesse nisi cum hoc quod insint eis relationes quae sunt dupleitas et dissimilitudo. Et certum est quod quilibet alius modus vel ordo, aut alia connexio inter ista est impertinens tali relationi.

Et patet secundum notandum de differentia relationis ab aliis respectibus: cum actio et passio praeter activam potentiam et passivam requirunt debitam applicationem, adhuc istis positis non sequitur actionem esse, cum stat per virtutem regitivam in mixto nisus accidentalis suspendi sicut suspendi-

tur nisus accidentalis ferri ad descensum per adhaesionem lapidi adamantino. Immo contrariis naturae propriae derelictis et sufficienter approximatis stat non esse actionem, sed incipere esse actionem. Sic enim dicunt sophistae talia successiva non posse incipere esse nisi per remotionem de praesenti. Ubicatio etiam requirit immediationem continentis ad contentum, nec recipit immediate et formaliter substantiam pro obiecto, sed accidens quod est locus. Quando etiam praesupponit mutabilitatem sui subiecti, <f. 120r> nec requirit substantiam pro obiecto sed accidens quod est tempus. Positio vero dicit ordinem partium situati et habet loci differentias quae sunt sursum, deorsum etc. pro obiecto. Habitus autem dicit inferi^{tem} in natura specifica adiacentis ad possessorem, et sic praesupponit relationem. Sed de istis patebit plenius, cum sit specialis tractatus de eisdem in libro *Sex Principiorum*.

Et propter hoc solet dici quod ad relationem tria requiruntur, subiectum scilicet, fundamentum absolutum et obiectum. Et penes diversitatem generalem fundamentorum capitur diversitas in genere relationum. Si enim comparentur subiectum et obiectum in substantiali denominatione, sic est identitas vel convenientia, differentia vel disconvenientia specifica vel generalis. Si in denominatione accidentali absoluta, hoc est aut secundum quantitatem, et sic est aequalitas^b vel inaequalitas et species proportionum, quae fundantur in numeris, et ita de superioritate et inferioritate, distantia et propinquitate, quae fundantur in sitibus. Immo, differentia numeralis quae fundatur in unitate quae est principium quantitatis discretiae. Aut tertio secundum qualitatem, et sic est similitudo vel dissimilitudo, contrarietas, paternitas, fraternitas, amicitia et huiusmodi. Et solum tales putantur esse per se species relationis.

Aristoteles tamen in V *Metaphysicae* distinguit tres modos relationum per comparisonem fundamentorum ad actionem vel passionem. Aliquae enim sunt relationes fundatae in denominationibus absolutis, secundum quas non sunt subiecta, ut huiusmodi activa ad invicem vel passiva. Et tales sunt relationes fundatae in denominationibus sumptis ab unitate vel numero, cuiusmodi sunt proportio dupla, tripla etc., quae vocantur a Philosopho “relationes terminatae”. Vel secundo fundantur in denominationis generalibus quantitatis aut numeri, quae vocantur “relationes interminatae”, ut multiplicitas, maioritas et huiusmodi. Aequalitas autem, similitudo vel identitas fundantur super unitate. Et haec est prima species relationum secundum <f. 120v> Philosophum.

Sed aliae sunt relationes fundatae in potentiis activis actione reali, et talium relationum aliquae fundantur in potentiis activis sine quibus stat huiusmodi relationes esse sed non simpliciter fieri, nisi tales potentiae processissent, eo quod subiecta huiusmodi potentiarum non sunt activa secundum tales potentias nisi secundum tempora determinata, et tales non insunt nisi ratione actionum praeteritarum, cuiusmodi sunt paternitas et filiatio, quae fundantur in potentia generativa patris et forma complexion-

ali suae prolis; et impossibile est ista poni nisi ponatur paternitas. Stat tamen paternitatem esse cum hoc quod pater non sit amplius sufficiens ad generandum. Et fortassis talis est relatio ponenda inter facturum et passurum, quae requirit futuritionem huiusmodi activae potentiae vel passivae.

Sed aliae sunt relationes fundatae in potentiis activis secundum quas subiecta pro omni tempore suae periodi nata sunt esse activa, cuiusmodi est contrarietas inter ignem calidum et aquam frigidam. Et sic est de aliis qualitatibus sensibilibus. Et secundum aliquos est specialis habitudo inter agens et patiens, quam dicunt esse occultam, quae non inest nisi cum actione et passione quam ponunt causari ab influenza caeli, propter quam habitudinem contrarium agit in unum contrariorum coextensorum et non in aliud, quamvis conformis sit applicatio utrobique.

Sed aliae sunt relationes fundatae in talibus potentiis per respectum ad actiones possibles, qualis est inter calefactivum et calefactibile, combustivum et combustibile; et tales, quamvis fundentur in potentiis absolutis, sive naturalibus sive artificialibus, cuiusmodi est potentia sarrae ad secandum, tamen ad hoc quod sint non requirunt pro eodem tempore existentia extremorum. Ideo vocantur ab aliquibus “relationes rationis” (rationum *ms.*). Et haec est secunda species relationum secundum Philosophum.

Sed in tertia specie sunt relationes fundatae in potentiis activis actione spirituali, cuiusmodi relationes sunt <f.121r> inter sensum et sensibile, et inter intellectum et intelligibile, et inter habentem scientiam et scibile. In talibus enim non est aliquid reale et sensibile inductum per transmutationem sensibilem in passum, sed sensibile respectu sensus se habet in ratione quasi mensurae respectu sensationis, eo quod virtus apprehensiva non agit in comprehensum, sed comprehensum per suum modum agendi species per angulos mensurat sensationem. Et conformiter intelligibile vel scibile habens se in ratione obiecti quo ad intellectum mensurat modum sciendi intellectus. Unumquodque enim, secundum Philosophum, <II> *Metaphysicae*, sicut habet de esse ita habet conformiter de cognosci; et ideo formae abstractae sicut sunt maxime entia, sic sunt maxime scibilia, et sic perfectio scientiae ceteris paribus mensuratur a scibili, ut aliquis est modus quo scio Sortem esse per sensum, alius quo scio nihil simul esse et non esse per intellectum, alius quo scio per demonstrationem quod omnis triangulus habet tres etc., alius quo scio per experientiam quod omnis scammonia est caloris eductiva, alius quo scio topice quod anima mea est incorruptibilis, alius quo scio per memoriam me vidisse Sortem, alius quo scio ex testimonio quod Aristoteles fuit, alius quo scio per fidem mundum incepisse esse, alius quo scio de communi cursu naturae solem cras oriturum, et alius quo scio per signa pronosticantia pluviam fore venturam - qui omnes modi sciendi capiuntur ex diversitate scibilis mensurantis scientiam. Ideo dicit

Aristoteles quod haec tertia species relationis est inter mensuram et mensuratum. Habitudo ergo inter sensum et sensibile, sicut et habitudo inter habentem scientiam et scibile, est relatio tertii modi. Et in istis est semper una relatio realis et alia correlatio est rationis relatio. Est enim relatio rationis quae non requirit substantiam pro subiecto nec (nihil *ms.*) pro obiecto, vel secundo quae non requirit ad sui esse obiectum in actu, aut fundamentum absolutum in subiecto primo in quo fundatur. Scientia quamvis dicat <f.121v> possibilitatem huiusmodi fundamenti in obiecto, videlicet scibile, dicitur relative ad habentem scientiam, scilicet scientem. Et constat quod scibilitas non requirit in obiecto fundamentum aliquod absolutum; requirit tamen fundamentum absolutum possibile in obiecto. Non enim esset scibile nisi posset esse qualitas vel intentio istius in anima. Potest etiam scibilitas esse in scibili, quamvis sciens ipsam (ipsum *ms.*) data<m> scientia<m> non esset. Et ita de sensu et sensibili. Sciens autem in hoc quod habet scientiam quae dependet a scibili habet in se relationem quae est habitudo ipsius ad scibile fundata in scientia, quod non stat esse sine scibili et scientia, quia quod non est non scitur. Et patet diversitas inter hanc speciem et alias.

Ulterius notandum quod aliqua sunt nomina quae significant per se relationes cum quibusdam circumstantiis superadditis de quibus praedicatur iste terminus 'relatio' praedicatione per accidens, ut per accidens amicitia est relatio, quia amicitia dicit ultra benevolentiam, quae est relatio, mutuam cognitionem eiusdem; est enim amicitia amici ad amicum benevolentia cum mutua cognitione eiusdem. Sic enim describit Philosophus amicitiam, dicendo quod amicitia est mutua benevolentia amici ad amicum in contrappassis non latens. Foret tamen eadem benevolentia corrupta cognitione mutua vel non existente; sed tunc non foret amicitia.

Et sic dicunt aliqui de paternitate et fraternitate, quod dicunt ultra identitatem specificam activam causationem originis; ita quod paternitas est identitas specifica parentis ad prolem, quae identitas mansisset -ut dicunt- si datus filius fuisset ab alio parente productus; sed tunc non fuisset paternitas. Posset tamen dici, sicut prius, quod paternitas fundatur in potentia generativa patris et complexione radicali seu forma complexionali suae proles, cum virtus individuata a patre decisa in semine sit per se causa individuans istam complexionem seu formam complexionalem, ita quod si fuisset generatus ab alio, sicut abuisset aliud semen pro suo principio, ita abuisset aliam complexionem individuaalem in numero. Et conformiter est dicendum de aliis relationibus et de distantia <f.122r> corporis ad corpus fundata in situ, et prioritate vel superioritate quo ad situm. Similiter prioritas temporis fundatur in tempore, et ita de aliis.

Et patet quod differentia unius puncti ad alium, si in puncto aliqua talis ponitur quae non est subjective in substantia punctuali, non est ratio per se in genere; et sic de relationibus respectuum et aliorum accidentium. Tales tamen relationes, cum sint relationes rationis, sunt semper per reductionem in genere relationis.

Verumtamen, sicut quantitas est per se quanta ita ratio, si refertur, est per relata sine accidente aliquo sibi inhaerente, ut quibusdam placet. Melius tamen dicitur quod ratio, cum per accidens refertur ad aliam conveniente secum in specie quam stat esse sine illa, ita est dare accidens per quod ad talem refertur, ut ista similitudo vel convenientia specifica forsitan aliquo accidente refertur ad convenientiam specificam inter alias relationes istis impertinentes. Et sic sunt infiniti tales respectus. Ratio tamen ad suam correlationem per se refertur sine relatione distincta, cum una non stat esse sine alia. Et hoc est semper verum de relatione reali.

Ultimo notandum quod multipliciter dicuntur aliqua relativa, ut dicit Philosophus, V *Metaphysicae*. Aliqua enim sunt relativa secundum dici cuiusmodi sunt quaecumque res ad alias relatae. Sed alia sunt relativa secundum esse. Et hoc dupliciter: vel quia sunt entia per se in genere quae in suis descriptionibus includunt respectus, cuiusmodi sunt actio, passio, ubi, quando, positio et habitus; immo scientia, virtus, vitium et aliae qualitates de prima specie qualitatis, ad quas, secundum Philosophum VII *Physicorum*, non potest esse motus, eo quod sunt ad aliquid. Sed secundo modo sunt aliqua relativa secundum esse eo quod sunt aggregata per accidens ex substantiis et suis per se relationibus. Et talia non sunt per se in genere, ut aggregatum ex patre et sua paternitate essentialiter respicit aggregatum ex sua prole et sua correlatione, quae est filiatio. Aliquando etiam vocantur relativa res quae natae sunt alias res ad invicem referre, ut homo vel anima; sed iste sensus <f.122v> est pro nunc impertinens, sicut et sensus grammaticorum de signis relativis.

Istis suppositis descendendum est ad expositionem textus Aristotelis. Dicit ergo Philosophus quod ad aliquid (id est: relativa) dicuntur quaecumque dicuntur hoc ipsum quod sunt (id est: secundum esse eorum) aliorum (id est; ad aliud sub habitudine genitivi casus) vel quomodolibet aliter ad aliud (id est: vel sub habitudine cuiuscumque alterius casus), ut maius dicitur illud quod est respectu alterius. Aliquo enim maius dicitur et duplum dicitur illud quod est secundum esse suum respectu alterius, quia alicuius duplum dicitur. Similiter autem et alia quaecumque huiusmodi sunt.

Sed notandum, secundum Commentatorem, XII *Metaphysicae*, commento 24°, quod inter omnia genera entium est ratio minimae entitatis, et sic a nobis de difficillimo cognoscibilis, cum eius essentia sit in maxima dependentia. Ita quod valde obscure et ambigue loquuntur omnes antiqui exposi-

tores de relatione . Ideo Aristoteles, ut inducat nos in cognitionem pro nobis notius, tractat de rebus relatis et terminis relativis, ut ex eorum notitia perveniamus in cognitionem relationis. Unde et in principio capituli nominat Aristoteles habitudinem generis supremi relationis termino composito ex praepositione cum suo casuali, innuendo per hoc relationem esse modicae entitatis, sicut et praepositio, inter omnes partes orationis, potissime significat circumstantiam quae est minimae entitatis, cum dicitur “ad aliquid” etc.

Ubi secundo notandum quod iste terminus ‘ad aliquid’ potest capi adverbialiter, ita quo didem sit dicere “ad aliquid dicuntur” et “relative dicuntur” etc.; vel secundo potest capi concretive pro isto termino ‘relativum’, et tunc idem est “ad aliquid dicuntur” etc. et “relativa” etc., ad sensum expositum; et tertio potest capi pro genere supremo relationis abstractive, ita quod idem sit dicere “ad aliquid dicuntur” et “relationes dicuntur”, et sic non sumitur in proposito, sed solum primo modo vel secundo. Et ut Aristoteles daret intelligi quod vera relatio non est solum in unico extremo fundata, sed in duobus, sine quibus non est illa relatio intelligibilis, ideo dicit pluraliter “talìa dicuntur ad aliquid”, et <f.123r> secundo, ut innuat quaecumque duo correlata convenire in una relatione, dicit singulariter “hoc ipsum quod sunt dicuntur aliorum”, ubi est regimen ex vi synecdoches, ita quod sit sensus: talìa dicuntur hoc ipsum quod sunt aliorum, id est: secundum hoc ipsum quod sunt dicuntur aliorum. Sicut idem est “tu es albus dentes” et “tu es albus secundum dentes”. Et tertio, ut comprehendat omnem habitudinem casualem sub qua unum relativorum est ad aliud dicibile, ponit sub disiunctione quod aliorum dicuntur vel quomodolibet aliter ad aliud.

Potest tamen haec notificatio, quamvis nec fuerit descriptio nec definitio, convenire omnibus relativis, ita quod sit sensus: “omnia talìa dicuntur relativa quae secundum aliquod suum esse sive fundamentaliter (fundat^{er}) sive formaliter dicuntur relative ad aliud sub habitudine genitivi casus seu cuiuscumque alterius casus” - ut res alba dicitur fundamentaliter per albedinem similis alteri albo, sed formaliter dicitur similis per similitudinem. Et exemplificat Aristoteles primo de relativis secundum dici in exemplis enumeratis, quae exempla etiam trahi possunt ad relativa secundum esse secundo modo dicta, quae dicuntur relativa sub habitudine genitivi casus. Sed consequenter ponit exempla de relativis secundum esse primo modo dictis, cum dicit: “Aut vero etiam et haec ad aliquid dicuntur (id est: relativa), habitus, affectus, disciplina, sensus, positio”. Haec enim omnia quae dicta sunt videntur includere respectum in sua descriptione, ut habitus dicit dispositionem inclinantem ad opus quod natum est procedere ab eodem, vel potest hic habitus sumi pro praedicato ultimo; affectus est accidens faciliter mobile a subiecto, <et> sic dicit mobilitatem quae est respectus rationis; disciplina dicit qualitatem sub ra-

tione qua est in discipulo; sensus vero dicit dispositionem organi ad sentiendum, et sic dicit respectum ad actum; et positio dicit ordinationem partium in comparatione ad extrinsecum - de quibus magis confuse posterius dicetur.

Secundo exemplificat de relativis <f.123v> quae dicuntur ad invicem sub habitudine cuiuscumque alterius casus, cum dicitur: “vel quomodolibet aliter”. Ut mons dicitur respective magnus in comparatione ad montem minorem sub habitudine accusativi casus, et simile dicitur relative ad sibi simile sub habitu

dine dativi casus, et ita de omnibus aliis. Et quia in exemplorum significatione dictum est positionem esse ad aliquid, manifestat hic consequenter quae sunt species et quae non. Accubitus autem et statio et sessio sunt res relativae secundum esse primo modo dictae, cum sint positiones. Positio enim ad aliquid est, sicut exemplificatum est, sed sedere, iacere et stare non sunt positiones, sed res denominative dictae a positionibus enumeratis. Sumuntur enim orationes infinitivae aliquando concretive convertibiliter cum suis participiis, ut hic, aliquando abstractive pro re verbi, ut ‘legere est bonum’ (id est: lectio est bona).

<De proprietatibus relativorum>

Inest autem. Haec est secunda pars huius capituli, in qua ponuntur certae proprietates relativorum et relationum, quarum prima communis solis rebus relativis est quod rebus relativis inest contrarietas. Probatur sic: nam virtus et vitium sunt contraria et utrumque istorum est res relativa; et disciplina est ignorantiae contraria.

Sed notandum quod non loquitur hic Aristoteles de relationibus, nec de oppositione relativa. De relationibus quidem non loquitur, cum virtus et vitium non sunt relationes, nec etiam opponuntur relative, sed contrarie, quia oppositio contrarietatis, ut dicitur posterius, primo reperitur solum inter formas positivas absolutas. Sed hic loquitur de rebus relativis secundum esse primo modo dictis, cuiusmodi sunt virtus et vitium, cum utrumque dicit habitum inclinabilem vel inclinabilem ad opus cum circumstantiis ut oportet vel aliter quam oportet. Non enim virtus, ut huiusmodi, denominatur respective ad vitium nec e contra, sed utrumque in eius denominatione vel descriptione includit respectum ad opus. nec sequitur ex isto quod non sunt accidentia absoluta, cum non dependeant objective ab aliquo quod non est eorum subiectum primum vel eius causa - et hoc <f.124r> satis est ad esse accidentis absoluti, ut dictum est supra de distinctione accidentis absoluti et respectivi. Potest enim homo habere habitum inclinabilem ad opera liberalitatis exercenda in comparatione ad suas facultates, qui habitus est liberalitas, etsi de facto nec operetur nec facultates habeat. Virtus ergo et vitium opponuntur contrarie et non relative, sicut patebit capitulo de oppositis. Et ideo quando Aristoteles dicit quod inest contrarietas in relatione, ponitur abstractum pro concreto, cum aliter exempla non concordarent, et est sensus: inest contrarietas rebus relativis, vocando res relativas res quae in suis descriptionibus includunt respectus, sicut faciunt virtus et vitium. Verumtamen non omnibus rebus relativis inest contrarietas, cuiusmodi sunt aggregata per accidens ex subiectis relatis et suis correlationibus, quae sunt relativa secundum esse secundo modo dicta. Et talia significantur communiter per nomina concreta, ut ‘pater’, ‘duplex’, ‘dimidium’, ‘maius’, ‘simile’, ‘aequale’. Possunt enim talia concreta supponere vel pro subiectis quibus insunt tales relationes sub quadam habitudine ad easdem, ut idem est ‘Sortes est pater, duplex’ etc. et ‘Sortes est res cui inest paternitas, duplicitas’ etc. Vel possunt secundo supponere pro talibus aggregatis ex subiectis et talibus relationibus, ut sic dicendo “pater et proles sunt simul natura quo ad consequentiam”, id est aggregatum ex subiecto et sua paternitate est simul quo ad consequentiam cum aggregato ex subiecto et correspondente proleitate.

Et certum est quod talia aggregata per accidens non sunt contraria, loquendo de proprie vel directe contrariis prout contrarietas distinguitur contra alia genera oppositionis. Et ideo dicit Aristoteles quod duplici vel triplici vel similibus, quae sunt aggregata per accidens, non est aliquid contrarium. Vel possunt tales propositiones intelligi cum reduplicatione, <f.124v> ut sit sensus: nihil est contrarium alicui sub ratione qua ipsum est duplex aut triplex; quamvis enim subduplex opponatur relative suo duplici, non tamen est, ut sic, contrarium sibi, et tamen virtuti ut huiusmodi opponitur vitium, et sic non inest contrarietas relativis omni modo dictis, sed solum primo vel secundo.

Notandum tamen quod aliquae sunt relationes per reductionem et indirecte contrariae, ut similitudo et dissimilitudo, quae non opponuntur nisi per (pro *ms.*) reductionem ad sua fundamenta. Non enim est oppositio inter similitudinem in albedine et dissimilitudinem in figura, sed oportet quod fundentur in qualitatibus vel denominationibus oppositis. Et sic per reductionem opponuntur eodem genere oppositionis in quo genere per se opponuntur sua fundamenta. Sed de istis posterius.

Videtur autem. Haec est secunda proprietas communis relativis secundum dici quae (quod *ms.*) sunt substantiae relatae, scilicet quod possunt suscipere maius et minus; et non solum his, sed etiam relationibus, ut simile alteri potest esse maius et minus simile eidem, et inaequale alicui potest esse maius et minus inaequale. Immo, similitudo secundum speciem suscipit et maius et minus, non quia eadem similitudo potest esse nunc magis similitudo et alias minus similitudo aut e contra, sed quod species similitudinis posset inesse secundum diversa tempora [secundum] intensius et remissius eidem individuo. Et ponentes eandem qualitatem per condensationem intendi, ponerent et similitudinem posse intendi; et sic posse fieri maiorem per intensionem sui fundamenti.

Sed non omnes relationes suscipiunt maius et minus. Nam nullae relationes quae fundantur in aliqua denominatione secundum nominationem ab aliqua specie numeri determinata suscipiunt maius et minus, ut duplicitas et triplicitas, et multa conformia. Aliae tamen relationes quae fundantur in denominationibus suscipientibus maius et minus sine denominatione ab aliqua certa specie numeri possunt suscipere maius et minus copulative et non copulativim.

Omnia autem relativa ad convertentiam dicuntur. Haec est tertia proprietas, communis solum rebus relativis tertio modo dictis, aut relativis secundum dici, quibus insunt <f.125r> per se relationes secundum quas mutuo referuntur ad invicem. Est enim sensus quod omnia relativa sic convertibiliter sese respiciunt sub habitudine alicuius casus, ut si servus est tunc est domini servus, et dominus servi dominus, et duplum est dimidii duplum, et dimidium dupli dimidium, et si aliquid est maius tunc est minore maius, et e contra - in quibus omnibus est convertibilis et mutuus respectus relativorum ad invi-

cem secundum habitudinem consimilis casu. Sed aliquotiens differt in aliis relativis, quae mutuo sese respiciunt, sed unum respicit aliud sub habitudine unius casus, et ipsum e contra respicitur ab alio sub habitudine alterius casus, ut si est disciplina tunc est disciplinati disciplina, et si est disciplinatum tunc est disciplina disciplinatum; et conformiter, si est sensus tunc est sensati sensus et si sensatum tunc est sensu sensatum - ubi unum dicitur ad aliud sub habitudine genitivi casus et aliud e contra sub habitudine ablativi casus.

Notandum tamen quod inter disciplinam et disciplinatum non videtur esse per se relatio, cum omnis praedicamentalis relatio habeat substantiam pro subiecto et etiam pro obiecto. Sed multotiens ponuntur talia exempla ad innuendum talia esse res relativas secundum esse secundo modo dictas, vel alias quae referuntur ad invicem per relationem rationis. Habent enim se ad invicem disciplina et disciplinatum, sicut recipiens et receptum. Et quo ad secundum exemplum oportet intelligi sensum ibi ut est sensus in actu, cum aliter non sequitur: est sensus, ergo sensati sensus.

At vero aliquotiens non videbitur converti, id est: quod res relatae mutuo et convertibiliter sese respiciunt nisi convertibiliter fiat assignatio illarum rerum secundum proprietates secundum quas sese respiciunt. Si enim praedicet vel deficiat iste qui assignabit assignando res sine proprietatibus secundum quas sese respicerent, non est convertibilis assignatio. Ut, quamvis ala et avis referantur ad invicem, non tamen respiciunt sese mutuo et convertibiliter ala et avis ut huiusmodi, quia non sequitur: est ala, ergo avis ala - cum multi sunt serpentes alati. Sed bene sequitur <f.125v> ‘est ala, ergo alati ala’. Ideo semper est mutuus respectus et convertibilis si tale res correlatae assignentur cum proprietatibus secundum quas referuntur ad invicem.

Sed aliquotiens forte oportet fingere nomina, ut quando non sunt nomina appropriate imposita quae concretive significant ipsas res relata cum proprietatibus secundum quas referuntur. Ut remus non bene assignatur ad navem tamquam ad suum correlativum ut huiusmodi, cum navis secundum quod navis non refertur ad remum, eo quod multae sunt naves sine remis; ideo non est convertentia navis ad remum secundum quod huiusmodi. Sed forte conveniens erit assignatio si sic assignetur: est remus, ergo rei remitae remus, aut aliquo modo aliter fingendo nomen, cum nomen non sit impositum. Et conformiter assignetur in aliis, ut: caput, ergo capitati caput. Non enim convertibiliter assignetur caput tamquam relatum animali secundum quod animal, cum multa sunt animalis quae non habent capita cuiusmodi sunt ostrea, conchylia et huiusmodi. Et ita correspondentem in aliis oportet invenire nomina per derivationem ab aliis nominibus primo inventis; et tunc facile erit assignare relativa, ut a remo remitum, ab ala alatum et ita de aliis.

Omnia ergo relativa si convenienter assignentur cum proprietatibus secundum quas, ut huiusmodi, sunt correlativa dicuntur ad convertentiam sub habitudine alicuius casus. Sed si cum aliis proprietatibus extraneis assignentur, non convertuntur, etiam si fuerint talia quae cum dictis proprietatibus dicuntur ad convertentiam et habuerint nomina sufficienter imposita. Dummodo tamen assignentur per nomina significantia proprietates extraneas et impertinentes quantum ad correlationem, non erit mutua convertibilitas, ut assignando servum ad hominem aut ad bipedem aut ad aliud tale secundum quod tale non refertur ad servum secundum quod servus non erit conveniens assignatio.

Et ut sciatur quando est conveniens assignatio dat Philosophus generalem regulam quae talis est: <f.126r> “amplius, si unum convenienter assignetur ad aliud tamquam ad suum correlativum ut huiusmodi, tunc, circumscriptis omnibus aliis proprietatibus praeter illas secundum quas assignata sunt, ad invicem referuntur, adhuc unum mutuo respiceret reliquum, ut servus, si assignetur ad dominum circumscriptis omnibus aliis proprietatibus tam domini quam servi, ut esse bipedem vel esse susceptibile<m> disciplinae aut esse hominem, manente tamen quod dominus sit et quod servus sit, adhuc servus mutuo refertur ad dominum et e contra”.

Verumtamen si servus assignetur ad hominem ut huiusmodi patet quod circumscripto ab homine quod sit dominus iam non dicetur ad eum relative servus ut huiusmodi; nam si nihil est dominus nullus est servus. Et conformiter, si tollatur alatum esse ab avi non dicetur avis relative ad ala ut huiusmodi. Ideo semper in talibus oportet assignare correlativa cum suis proprietatibus secundum quas ut huiusmodi referuntur ad invicem, et cum nomina convenientia deficiunt necesse est fingere - sicut dictum est.

Nec debet movere quod aliqui arguunt ex dictis hic quod nulla sunt relativa praeter signa, quia soli termini dicuntur ad invicem sub habitudine alicuius casus. Secundo quia si res essent relativae tunc omnia forent relativa, et per consequens omnia forent in genere relationis. Et tertio quod infinitae essent tales relationes in qualibet re, et per consequens quaelibet res foret infinite perfecta; immo, moto uno omnia moventur, ubique etiam foret generatio et corruptio huiusmodi relationum.

Nam primum non movet, eo quod sicut res dicuntur et significantur per signa, ita dicuntur ad invicem genitive vel dative vel sub habitudine alicuius casus. Secundum potest concedi - supple: quod omnia sunt in genere relationis. Non tamen per se, sed per reductionem sive per accidens; immo, nullum relativum secundum dici vel secundum esse quae non est ipsa relatio est per se in genere relationis, sed sicut solum qualitas est per se in genere qualitatis, et tamen album est per accidens vel per reductionem in genere qualitatis, ita solum relatio est per se in genere relationis, et tamen relativum est in

eodem genere per accidens vel per reductionem. Ad tertium dicitur concedendo quod in qualibet re sunt infinitae relationes, et tamen non plus sequitur ex illo quod quaelibet res sit infinite (infinite *ms.*, et sic *infra*) perfecta quam sequitur quod linea foret infinite perfecta, quamvis conceditur quod habet infinita puncta. Multae enim relationes vel non perficiunt subiectum suum vel infinite modice perficit aliqua subiectum. Non enim omnes relationes eiusdem speciei <f.126v> aequaliter per se perficiunt subiectum, sicut non omnes quantitates in homine aequaliter perficiunt hominem. Nec sequitur: haec relatio vel haec quantitas tante perficit hominem, ergo homo est tante perfectus - cum tunc quilibet homo infinite modice esset perfectus, quamvis alii concedant conclusionem. Et sic haec responsio potest fieri de quantitate vel qualitate aequae sicut de relatione. Probabile enim est solas finitas esse relationes simpliciter (sim^{ter}), quamvis infinitae sunt quo ad nos. Et quo ad aliud additum respondet Aristoteles dicens quod ad relationem non est motus, cum in solis quattuor praedicamentis reperitur motus proprie dicitur. Aequivocando tamen de motu, extendendo nomen ‘motus’ ad omnem acquisitionem alteritatis seu denominationis, non est inconveniens quod moto uno omnia moventur.

Videntur quodam ea quae ad aliquid sunt esse simul natura. Haec est quarta proprietas quae competit relativis secundum esse, prout relativa talia sunt aggregata per accidens ex subiectis correlatis et suis correlationibus.

Sed notandum est ex dictis quod aliqua referuntur ad invicem secundum relationes reales quae essentialiter et mutuo dependent ab actuali existentia suorum extremorum, cuiusmodi sunt simililudo, differentia, paternitas et filiatio et similia, cum suis correlationibus. Ut paternitas patris ad filium essentialiter requirit existentia patris et filii, sicut filiatio prolis ad patrem (prolem *ms.*), et ita de aliis. Sed alia sunt relativa quae mutuo referuntur ad invicem relationibus quae non sic mutuo requirunt existentiam extremorum, nisi secundum esse possibile, cuiusmodi sunt scibile et habens scientiam. Scibilitas enim non requirit existentiam actualem scientis aut scientiae corruptibilis, sed e contra ad hoc quod aliquis sit habitus scientia requiritur quod scibile sit in actu, quia quod non est non scitur, ex I *Posteriorum*. Et ita de sentiente et sensibili.

Et de relativis primi modi iam dictis est semper verum quod sunt simul natura, ita quod si unum sit in actu, tunc et reliquum est in actu. Ut, si aggregatum ex homine et illa paternitate est, tunc aggregatum ex homine et correspondenti filiatione est, et ita de aliis. Sed de relativis secundo modo dictis non oportet quod si unum sit in actu quod reliquum sit in actu. Ideo talia relativa ab aliquibus vocantur “relativa secundum rationem” et suae relationes vocantur ‘relationes rationis’. Sicut enim relationes rationis quae non requirunt actualem existentiam extremorum <f. 127r> aut fundamentum absolutum per

se in genere vel substantiam pro subiecto vel obiecto, cuiusmodi sunt relationes fundatae in rationibus idealibus aut aliis rationibus intellectis (*lectio dubia*), in relationibus ergo rationis quae non requirunt actualem existentiam extremorum non oportet etiam quod si sint aggregata per accidens quod sint simul natura. In relativis tamen realibus, quae relativa sunt aggregata per accidens, oportet quod sint simul natura, ita quod si unum est reliquum est.

Sed hic accidit difficultas de paternitate et filiatione. Esto enim quod Sortes administravit semen ex quo generabitur Plato, ita tamen quod post ministrationem Sortes moriatur antequam fit lineatio in materia, tunc dubitatur si Plato habet, habuit vel habebit patrem.

Videtur quod non, quia non habuit patrem antquam fuit, nec postquam fuit habuit patrem, cum non habeat illud quod non est. Sed hic dicit sophista concedendo conclusionem quod Plato nec habet nec habuit nec habebit patrem; immo nec fuit generatus a masculo, quia nullus masculus generavit eum.

Sed aliter dicitur ab aliis quod Sortes generavit Platonem quando Plato non fuit, quia secundum Philosophum quod generatur non est. Idem enim est ut sic generare et semen sub data forma ministrare ex quo fiet generatum. Et ita e contra Plato est generatus a Sorte quando Sortes non est, quia habet materiam ministratam seminaliter a Sorte; pro cuius habitu non sequitur quod Sortes est, sed quod fuit. Nec tamen sequitur quod Sortes fuit pater Platonis, nec Plato unquam filius Sortis, cum numquam fuit generatus a Sorte sibi similis in specie - esse patrem <enim> est habere generatum ab eo sibi similem in specie.

Sed tertio dicunt alii quod, cum Sortes sit eadem persona cum anima sua, quae manet incorruptibilis, quod semper est verum quod Plato habet patrem actualiter existentem, quia personam illam quae quando fuit corporea generavit Platonem. Eligat ergo sophista quam viam voluerit sustinere.

Aristoteles autem explicando hanc proprietatem dicit: “In aliis quibusdam (id est: relativis) pluribus verum est quod sunt simul natura, sicut simul natura est duplum cum suo dimidio, dominus cum servo”, et ita de aliis relativis secundum relationes reales, intelligendo per talia concreta aggregata per accidens ad sensum expositum. Et quod haec sint simul natura probat Aristoteles, quia simul se auferunt, ut si non sit duplum non est dimidium, et ita de ceteris. Sed non in omnibus relativis hoc (hic *ms.*) videtur esse verum quod ipsa sunt simul natura. Nam scibile videtur esse prius quam sit scientia. Nam in pluribus adquirimus scientiam ex rebus praeexistentibus et in paucis contingit scientiam et scibile esse simul. Amplius secundo patet <f. 127v> idem ex hoc quod scibile ablatum aufert scientiam et non e converso, cum quadratura circuli sit scibilis et nondum scita. Ergo scibile videtur prius esse quam

scientia. Amplius tertio si nullum animal esset, nulla esset scientia animalis. Scibilia enim non minus possunt esse plura. Ergo etc. Et conformiter arguit Aristoteles quod sensibile et sensus non sunt simul natura eo quod sensibili interempto simul interimit sensum et non e contra. Nam perempto animali perimitur omnis sensus, non autem omne sensibile. Immo, sensus simul est cum sensato, semper loquendo de sensu in actu, sed sensibile est prius quam sit sensatum. Ergo etc.

Habet autem. Hic movet Aristotels unam dubitationem, quae est ista: numquid aliqua substantia dicatur ad aliquid sicut apparet circa substantias secundas.

Pro quo notandum quod substantia potest concipi secundum esse suum primum sub ratione qua est res primae intentionis, et illud vocatur ‘prima substantia’, et ut sic, sive fuerit universalis sive particularis, non dicitur ad aliquid. Sed secundo modo potest substantia concipi cum accidentali proprietate aut re secundae intentionis, et tunc substantia sic concepta habet esse respectivum quod sine alio non contingit intelligere. Et sic, sicut verum est unam substantiam referri ad aliam, ita et substantia sic relata potest dici relativa secundum dici, quamvis non fuerit relativa secundum esse, sed solum sub ratione qua sibi inest aliqua proprietas secundarie ad esse suum primum (p^m); ut animal sub ratione qua est genus dicitur relative ad speciem, et bos sub ratione qua est possessio dicitur relative ad dominum, et manus sub ratione qua est pars dicitur relative ad totum, et homo similis ratione qua simile dicitur relative ad sibi simile. Ideo dicit textus quod in primis substantiis verum est. Nam neque totum neque pars ad aliquid dicitur. Substantia enim singularis absolute concepta sine proprietate accidentali adiecta vel re secundae intentionis, id est: sine particularitate aut inferioritate ad genus vel speciem vel huiusmodi, sive sit substantia integra sive pars, non ut sic concepta est relata, seu relative dicta, ad aliud, ut iste bos non ut sic dicitur relative ad aliud, et ita manus sub relatione qua est ista substantia non dicitur relative ad aliud, quamvis sub ratione qua manus dicitur relative ad totum. Nam manus abscissa non est manus nisi aequivoce. Et hoc intelligitur cum dicit quod quaedam manus non dicitur alicuius quaedam manus, sed alicuius manus, ut hoc singulare sub nuda ratione qua hoc non dicitur relative ad aliquid, sed sub ratione qua est manus dicitur respective.

Alii dicunt quod innuit per istam litteram quod non sequitur: est manuatum, ergo est ista manu manuatum. Sed bene sequitur quod est manu manuatum. Et conformiter dicendum est de isto capite et aliis substantiis singularibus quae sunt partes aliorum.

Et quantum ad substantias universales patet quod ut in pluribus non dicuntur relative. Et forte dicit quod “ut in pluribus” <f.128> eo quod maior pars specierum relationis non potest universalibus competere, cum non insint illis formaliter et immediate accidentia absoluta. Et verum est, sicut dictum

est prius, quod tales substantiae secundum esse suum primum non dicuntur relative, ut homo non dicitur relative ut huiusmodi, nec bos, nec lignum, quamvis talia sub ratione qua sunt possessiones sive dominia materialiter dicta dicuntur relative in comparatione ad dominum vel possessorem.

In aliquibus substantiis conceptis cum proprietatibus accidentalibus respectivis, ut contingit in substantiis communiter conceptis sub habitudine ad sua tota quae componunt unum est verum quod dicuntur relative ut huiusmodi, ut caput sub ratione qua caput dicitur relative ad capitatum, et conformiter in aliis, ut simile sub ratione qua simile dicitur relative ad sibi simili. Ideo vocando relativa quaecumque secundum hoc ipsum quod sunt referuntur ad alia, sicut dictum est in principio huius capituli, impossibile erit solvere quin substantiae sint relativae. Non tamen secundum quod substantiae sunt absolute conceptae. Verumtamen si descriptio posita in principio non fuerit sufficiens descriptio et appropriata relativis secundum esse, sed dicuntur relative quorum esse primum est ad aliud se habere, tunc certum quod nulla substantia est sic relativa, quamvis substantiae dicuntur relative, id est: referuntur ad aliud. Non tamen primum esse earum secundum quod sunt substantiae est esse respectivum obiective, scilicet respiciens aliquod extrinsecum.

Ex his manifestum est. Si quis definite sciat in particulari aliquod relativorum secundum esse, definite sciet illud ad quod refertur sive relative dicitur, quia unumquodque sicut se habet ad esse sic se habet ad cognosci, per Philosophum II *Metaphysicae*. Cum ergo omne esse talis relativus est ad aliud, sequitur quod cognitio eiusdem est per comparationem ad idem aliud.

Sed etiam in singulis. Probat hoc inductive; nam scito quid est sessio oportet scire quid est sursum, et scito quid est quando oportet scire quid est tempus, et scito quid est ubi oportet scire quid est locus, et scito quid est esse patrem scitur etiam quid est esse filium, et scito definite quid est duplum oportet scire quod dimidii duplum est, et scito quod haec est manus oportet scire quod est manuum manus; non tamen oportet scire cuius est manus, sciendo quod est manus. Immo, stat scire Sortem esse patrem nesciendo definite cuius est pater. Verumtamen sic sciens Sortem esse patrem nec scit definite ipsum esse patrem, quia non scit ipsum esse patrem ista paternitate <f.128v> nec ista, sed solum indefinite et illimitate scit illum esse patrem paternitate in communi. Et correspondenter sicut scit illimitate et indefinite illum esse patrem, ita scit indefinite quod est alicuius proles pater, sicut sciens definite et limitate quod est pater illa paternitate scit etiam definite quid sit eius proles; et sciens quod haec est manus ista manuatione scit cuius sit manus.

Ideo dicitur ab aliis quod regula Aristotelis sic intelligitur: cognita una relatione reali cui correspondet alia correlatio cognoscitur eo ipso ista correlatio, ut cognoscendo illam filiationem cognoscitur

illa paternitas. Et patet ex dictis quod tam haec descriptio quam reliqua iuxta primam expositionem competit tam relativis secundum esse primi modi quam relativis secundum esse secundi modi; sed non extendit se ad relationes quarum una est reali et altera rationis, cuiusmodi sunt inter scientem et scibile. Caput vero et manus et ceterae substantiae cum proprietatibus accidentalibus conceptae secundum esse suum primum quo sunt substantiae possunt definite cognosci non definite cognoscendo ea ad quae referuntur. Ut non oportet cognoscendo substantiam quae est caput vel manus cognoscere cuius est caput vel manus. Ideo ista non sunt relativa secundum esse, et per idem nulla substantia est sic res relativa. Verumtamen difficile est de rebus huiusmodi adeo latentibus confidenter aliquid declarare.

Ideo dubitare de singulis non est inutile. Ubi notandum quod dubitare idem est aliquando quod dubitationes vel dubium movere; et sic accipitur hic et III *Metaphysicae*, commento 1^o, ubi sic: “Inest autem investigare volentes prae opere bene dubitare”. Sed secundo modo accipitur dubitare pro haesitative considerare, et sic opponitur ad scire actuale distinctum. Sed tertio sumitur dubitare pro dubitative respondere; et sic dicunt sophistae quod non est inconveniens idem dubitare et concedere infra idem tempus obligationis, ut esto quod Sortes sit coram te et nescias an sit Sortes, tunc habes concedere quod hoc est Sortes demonstrando hoc quod est coram te, cum sit altera pars positi, et habes iterum concedere quod tu dubitas hoc esse Sortem (id est: cum haesitatione consideras hoc esse Sortem). Sed nec habes dubitative respondere ad illam: “Hoc est Sortes?”, cum sis obligatus ad concedendum istam eo quod sequitur formaliter ex posito.

Secundo notandum quod manus, pes etc. aliquando connotant rem sic figuratam cum habitudine ad suum (sua *ms.*) totum, et tunc possunt sumi pro subiectis sic <f.129r> nominatis, ut in proposito, vel pro talibus aggregatis, et sic sunt vere res relativae. Sed secundo modo possunt sumi pro rebus huiusmodi vivificatis, et sic manus abscissa sicut et manus idoli aequivoce est manus cum manu hominis, sicut **v**iga arida aequivoce est arbor cum arbore viva. Sed tertio modo possunt sumi absolute pro rebus taliter figuratis, sive inexistant alicui toti sive non; et sic manus abscissa vere dicitur manus etc.

<De qualitate>

Qualitatem vero dico. Et hoc est quartum capitulum huius secundae partis, in quod determinatur de quarto genere, quod est qualitas.

Ubi notandum quod, quamvis Aristoteles in multis locis sequitur Archytam (Architem *ms.*) in isto libro, discordat tamen ab illo in ordine determinandi de praedicamentis. Nam, ut refert Simplicius, Archytas in ordine tractandi praeposuit qualitatem quantitati, cuius oppositum facit Aristoteles. Movebatur autem Archytas ad praeponendum qualitatem, ut dicit idem Simplicius, eo quod qualitas est quantitate dignior, communior, formalior (famosior *ms.*) et simplicior. Est autem dignior (-ius *ms.*) quia immediatius facit ad cognitionem substantiarum separatarum qualitas quam quantitas. Secundo qualitas est communior quia reperitur in omnibus substantiis ubi reperitur quantitas et non e converso, cum qualitas sit in substantiis separatis. Tertio qualitas est formalior (famosior *ms.*) quia quantitas magis immediate videtur sequi <materiam quam formam et> e contra qualitas inest ratione formae - quod autem formalius est ut sic est actualius et prius. Quarto qualitas est secundum Archytam simplicior quam quantitas cum qualitas quantum de se est sit indivisibilis <et non est divisibilis> nisi ratione quantitatis - simpliciora autem sunt priora simpliciter.

Verumtamen Aristoteles volens tradere modum sciendi per ea quae reperiuntur in sensibus praeposuit quantitatem qualitati, quia, ut diximus prius, sicut materia prima est prima in via generationis, sic quantitas, quae consequitur materiam, videtur esse prior in ordine procedendi quam alia accidentia, cum sit basis et fundamentum omnium accidentium materialium. Quantitas etiam videtur habere quandam praero^{am} super qualitatem in hoc quod multae species qualitatum fundantur primo in quantitate et non e converso. Et si genus supremum substantiae diceretur corpus, sicut probabiles viri dicunt possuisse Aristotelem, tunc rationalitas ordinis quem observat Aristoteles amplius appareret.

Dividitur autem hoc capitulum in tres partes, in quarum prima determinatur de qualitate secundum se, in secunda determinatur de qualitate per comparisonem ad subiectum, <f.129v> et in tertia determinatur de quibusdam proprietatibus qualitatum. Prima pars incipit in principio et durat usque ibi: “qualia vero dicuntur”. Et dividitur in duas partes. In quarum prima describit genus qualitatis; in secunda dividit ipsum genus in quattuor genera subalterna.

Ubi primo notandum quod qualitas secundum Philosophum et Commentatorem, V *Metaphysicae*, commento 19^o, dicitur uno modo cuiuscumque rei differentia substantialis, sicut dicimus rationalitatem esse qualitatem substantialem hominis. Et sic dicunt expositores Aristotelem intelligere quod

substantia secunda significat quale quid, id est: ut dicit (dicunt *ms.*) qualitatem substantialem. Et Porphyrius dicit quod si homo accipitur velut qualitas non erit simpliciter qualitas nisi quemadmodum ipsum differentiae constituent. Immo, aliquando largius omnis per se ratio generis vel per accidens in genere potest dici qualitas. Et sic dicunt grammatici quod omne nomen significat substantiam cum qualitate propria vel communi, sed pronomina et verba substantiva dicuntur significare substantiam meram (id est: essentiam pure), sine commotatione rationis per se vel per accidens in genere.

Sed ad propositum dicitur quod qualitas est forma a qua, sive secundum quam, substantia est per accidens formaliter qualis. Et loquitur de dici per accidens prout opponitur ad dici per se. Et patet quod sic loquendo nec propria passio nec differentia substantialis est qualitas, cum unum dicit subiectum suum quale per se secundo et aliud per se primo; et sic neutrum per accidens. Sed Aristoteles considerans quod qualiscumque species qualitatis inest homini non definit, eo quod nullum genus generalissimum est definibile, sed describit per illud vel notificat quod est nobis notius [qualitatem], dicendo (dn^{do}) quod qualitas est secundum quam quales dicimur, intelligendo per “dici hominis” qualemcumque denominationem accidentalem homini inexistere, cum homo qualemcumque substantiae rationem et similitudinem aliquo modo participat, <et> intelligendo istum terminum ‘secundum quam’ ut dicit habitudinem causae formalis. Et patet quod nec secundum Deum nec secundum aliquam causam dicitur substantia formaliter qualis, quamvis per Deum vel a Deo vel a qualibet per se sua causa dicatur causaliter qualis. Et differt genus qualitatis per hoc ab aliis generibus accidentium, quod ipsa absolute inest ab intrinseco ratione formae. Nam per hoc quod absolute inest differt a respectibus et per hoc quod inest ratione formae differt a quantitate, quae inest ratione materiae. Dicitur autem accidens inherere ratione formae quando subiectum in quantum sic substantialiter informatum habet vel natum est habere tale accidens. Et patet quod nulla qualitas nata est inherere ratione materiae, cum tunc omne materiale <f.130r> foret taliter qualificabile (quali^{le}).

Est autem. Haec est secunda particula huius partis, in qua determinatur de speciebus qualitatis, quae iuxta praecipuos logicos non distinguuntur ex opposito eo quod eadem qualitas est in qualibet illarum specierum, ut dicunt, posterius enumeratarum. Et dicunt illas quattuor species esse quattuor modos distinctos, ut qualitas, secundum rationem qua absolute denominat seu disponit subiectum suum, est in prima specie qualitatis, secundum quod est instrumentum subiecti et principium agendi est in secunda specie, et secundum quod est immutativa sensus aut subicibilis alterationi est in tertia specie, et secundum quod disponit aut denominat suum subiectum quantum ad decentiam aut ornamentum sic est in quarta specie.

Sed melius et consonantius est dicere quod istae species distinguuntur ex opposito, ita quod nihil quod est per se in una specie est per se in alia specie. Pro quo est notandum quod omnis qualitas aut est active sensibilis aut insensibilis. Insensibilium autem qualitatum aliquae sunt naturaliter acquisibiles vel naturaliter inexistentes, et omnes tales et solum tales dicuntur esse in secunda specie qualitatis; sed aliae sunt insensibiles praeternaturaliter solum acquisibiles immediate per actionem, cuiusmodi sunt habitus corporei, ut sanitas et infirmitas, et habitus spirituales, ut virtutes morales vel intellectuales, quae omnes sunt insensibiles, quamvis occasione (*lectio dubia*) sensu possunt percipi. Sunt etiam ex arte et usu acquisibiles, quamvis aliqua sit sentias connaturata animali. Nec generantur istae qualitates a sibi similibus immediate, sed per transmutationem in qualitibus primis vel aliter per actiones animae. Et ista sunt in prima specie qualitatis. Si autem sint qualitates sensibiles vel consequuntur positionem quantitatis, et sic sunt in quarta specie, vel insunt absolute ratione formae et non ratione positionis quantitatis, et sic sunt in tertia specie. Vel, sicut alii dicunt, solae qualitates sensibiles quae possunt esse per se termini alterationis sunt in tertia specie, et aliae (*alia ms.*) quae non possunt, sic sunt in quarta. Prior tamen modus dicendi est melior.

Sed ulterior declaratio istorum membrorum patebit in expositione textus. Dicit ergo textus: *Et una quidem* (id est: prima species qualitatis) *est habitus et dispositio* (id est: qualitas insensibilis praeternaturaliter acquisibilis immediate per actionem dicitur prima species qualitatis)”. Et ponitur haec species prima qualitatis tum quia modus generandi illam speciem, cum generetur aequivoce, est prior quam modus generandi aliarum specierum, cum omnem generationem univocam praecedat generatio aequivoca, tum etiam quia est notior homini et medium inducens in cognitionem de potentiis naturalibus quae sunt in secunda specie qualitatis. Et quamvis qualitates de tertia specie qualitatis sint plus noscibiles (*nosci^{les}*) homini quo ad sensum, tamen plus elongantur <f.130v> ab artificialibus, quae solet Aristoteles ex more antepone. Non tamen est vis magna de ordine illarum specierum, sed sufficit quod tales sint quattuor species qualitatis.

Actiones tamen, sicut faciunt qualitates de prima specie, sic fiunt a qualitibus in secunda specie, quae sunt naturales potentiae et impotentiae ex quibus fiunt transmutationes in qualitibus in tertia specie. Naturales enim potentiae, ut virtutes elementorum, generant qualescumque qualitates sensibiles et virtutes astrorum aut aliarum partium caeli generant qualitates elementares ex quibus fiunt quantitates et substantiae corporeae figuratae et dispositae in actibus secundum complacentiam naturalem animae vel displacentiam eiusdem.

Sequitur in textu: *Differt autem habitus a dispositione*. Hic notandum quod tam habitus quam dispositio multipliciter potest sumi. Sumitur habitus aliquando pro re de praedicamento substantiae, cuiusmodi sunt panni religiosorum; quidam sunt habitus eo quod signa sunt interiorum habituum (habitus *ms.*), scilicet virtutis in anima, sicut urina dicitur sana quia significat sanitatem. Et talis habitus vel est res artificialiter disposita vel aggregatum per accidens ex materia figurata et tali figura artificiali, cuius ulterior divisio est relinquenda religiosi, nec de isto habitus est nobis cura pro hoc tractatu. Sed secundo modo sumitur habitus pro genere supremo ultimi praedicamenti, de quo posterius prolixior erit sermo. Sed tertio modo sumitur habitus pro quacumque qualitate vel denominatione absoluta accidentali et positiva. Et quarto modo, ad propositum, sumitur habitus pro qualitate insensibili ex assuefactione aut alias praeternaturaliter generabili.

Dispositio etiam sumitur aliquando pro actione disponentis, et sic est in praedicamento actionis. Aliquando pro passione dispositi, et sic est in praedicamento passionis. Aliquando sumitur pro praedicamento positionis, ut patet V Metaphysicae, commento 24^o, secundum novam transmutationem. Aliquando sumitur pro omni forma disponente subiectum seu per quam subiectum formaliter disponitur, et sic est analogum circumiens multa genera. Aliquando dicit qualitatem insensibilem praeternaturalem, et sic est prima species qualitatis. Et aliquando, secundum aliquos, sumitur pro quolibet accidente praeternaturali.

Sumendo ergo habitum et dispositionem pro qualitatibus insensibilibus praeternaturalibus, dicit textus quod differt habitus a dispositione eo quod habitus est permanentior et diuturnior, cuiusmodi sunt virtutes et scientia. Scientia enim est de difficili mobili; nam si homoumat scientiam mediocriter non perdet eam, nisi forte fiat transmutatio grandis circa ipsum hominem ab aegritudine vel ab aliquo alio. Similiter autem et virtus, ut iustitia, castitas et similia, non videntur posse faciliter moveri, et ideo sunt habitus.

Affectiones vero sunt faciliter mobiles et permutabiles, ut calor et frigiditas <f.131>, aegritudo et sanitas, et alia huiusmodi.

Afficitur enim, id est: ad modicum perseveranter disponitur quodammodo circa eas homo, quia cito permutatur homo a calido praeternaturali in frigidum et ex sanitate artificiali vel praeternaturali in aegritudinem; et conformiter in aliis quibuscumque afficitur communibus, nisi fiunt tales affectiones quae propter longitudinem temporis in naturam sic dispositi transferrimur, ita ut iam fiant difficiliter mobiles ad modum habituum.

Sed hic videtur primo quod differentia assignata in textu non valet, eo quod omnis qualitas de facili mobilis est de difficili mobilis et e converso. Pro quo dicitur quod haec differentia non est sufficiens, sed notificatio quaedam iuxta locutionem vulgarem, manuducens iuvenes ad cognoscendum differentiam ulteriorem. Dicitur quod habitus est sic de difficili mobilis quod expellit omnem dispositionem contrariam sibi, et dispositio, quae non est habitus, compatitur secum contrarium ut patet ex II *Ethicorum*. Tunc enim secundum Philosophum ibidem indicandum est hominem esse virtuosum quando operatur virtuose, delectabiliter sine reinclinatione dispositionis oppositae. Sed quia frequenter virtuosi habent etiam cum virtute reinclinationem aliquam ad contrarium sive ex reliquiis malae consuetudinis nondum sopitae totaliter sive ex disconvenientia complexionis.

Sed dicitur aliter quod omnis habitus non est in potentia ad ulteriorem gradu intensionis vel firmitatis, sed dispositio quae non est habitus est in potentia. Sed hoc non videtur verum, quia stat unam virtutem esse nunc firmiorem et alias esse minus firmam, et duorum habituum unum esse reliquo plus intensum.

Ideo dicitur tertio quod habitus est qualitas praeternaturalis quae post eius latentiam quo ad opus est inclinativa ut prius, ut patet de scientia in ebriis et indispositis, de virtutibus moralibus in passionatis, et de sanitatibus in discrasiatibus. In omnibus enim istis reducuntur subiecta post passiones ad operationem cui habitus est inclinativus. Dispositio vero quae non est habitus est qualitas insensibilis praeternaturalis quae non est reductiva subiecti post eius separationem a forma contraria.

Sed quarto dicitur communius et levius quod qualitas non dicitur de facili mobilis quia est mobilis cum subiecto localiter vel quia est faciliter corruptibilis ad corruptionem subiecti, sed quia faciliter potest deesse subiecto suo primo stante [subiecto]; et quia aliqua accidentia possunt faciliter sic deesse et aliqua difficilius, est dare latitudinem difficultatis seu facilitatis, in qua latitudine oportet notare certum gradum. Et tunc <f.131v> dicitur quod omnis qualitas sub isto gradu difficultatis mobilis, ad sensum expositum, vel citra istum gradum, est dispositio et non habitus; et omnis qualitas de difficili mobilis aliquod gradu ultra istum gradum est tam habitus quam dispositio. Et sic dispositio est superius ad habitum.

Et si obicitur quod textus dicit quod habitus differt a dispositione, et per consequens non omnis habitus est dispositio, dicitur a quibusdam quod hoc verbum ‘differt’ non confundit, iuxta sententiam textus, quamvis sophistae dicant contrarium. Vel secundo dicitur quod est sensus: differt habitus a dispositione quae non est habitus.

Et si obicitur tertio quod calor et frigus enumerantur hic dispositiones, quae tamen sunt qualitates sensibiles, dicitur ab aliquibus quod Aristoteles aequivocat de dispositione, capiendo dispositionem nunc pro omni qualitate praeternaturali et nunc restringendo terminum ad qualitatem de prima specie ad sensum expositum.

Alii dicunt quod Aristoteles frequenter ponit exempla non ut ita sit, sed ut sentiant qui addiscunt.

Sed tertio dicitur, et subtiliter, quod Aristoteles vult per ‘calorem’ intelligere dispositionem insensibilem quam habet natus vel provocatus ad intemperantiam, et per ‘frigus’ intelligit dispositionem insensibilem quam habet quis ex apprehensione vel auditu tristantium aut moventium ad agrestitatem (*sic*). Et isto modo loquitur vulgus dicens quod exprobrantes, altercantes vel arguentes calefaciunt suos argutos, et dicimus quod tristantes alios frigefaciunt corda eorum.

Notandum tamen quod textus non dicit quod calor et frigus sunt dispositiones, sed quod sunt affectiones. Affectio enim commune est ad omne accidens praeternaturaliter acquisibile (*acquiribile ms.*) et ad omnem formam debilis entitatis vel permanentiae. Nam auctor *Sex principiorum*, capitulo de quando, videtur vocare quando ‘affectionem’. Et sic non procedit obiectio quovismodo. Dicitur ergo quod omnis habitus est de facili mobilis et de difficili mobilis, sicut et omnis dispositio; sed dispositio quae non est habitus non est sub aequae (*aequo ms.*) intenso gradu difficultatis mobilis sicut et habitus. Et sic intelligit Aristoteles cum dicitur in textu: Manifestum est quoniam haec sunt habitudines (*id est: habitus*) quae sunt diuturniora et de difficili mobili a subiectis. Nam in disciplinis ipsi qui habent dispositionem de facili deperibilem quamvis in naturalibus sint melius aut peius dispositi, dum tamen illa dispositio non attingat ad gradum difficultatis sub quo contingit esse habitum, adhuc non dicuntur habere habitum. Ideo differt habitus a dispositione quae non est habitus eo quod habitus est de difficili mobili a subiecto quam dispositio non habitus. Sunt autem habitus dispositiones, sed non omnes dispositiones necesse est esse habitus. Nam habens habitum dispositus est, sed non omnis dispositus habet habitum.

Notandum tamen hic quod duplici ex causa potest qualitas esse faciliter mobilis. Uno modo propter imperfectionem <f.132r> aut remissionem, quia qualitas remissa est frequenter faciliter deperibilis et qualitas intensa multotiens de difficili mobili). Primus namque actus praecedens virtutem causat aliquam dispositionem in potentia ad virtutem, sed quia illa modice intensa est, ideo de facili perditur; ex pluribus tamen talibus accidentibus causatur dispositio adeo intensa ut de difficili deperdatur. Sed secundo modo qualitas potest esse vaciliter mobilis propter defectum causae conservantis, etsi fuerit

multum intensa. Et ideo eadem qualitas quantum est ex parte sui non variata potest alias esse habitus postquam non fuit habitus ex adveniente causa conservante, sive ex firmitate generata sicut, contingit de intentionibus receptis in medio, quae firmantur per frequentiam actuum elicitorum ab eisdem. Non sic autem de qualitatibus quae sunt habitus per intensionem. Nam, secundum ponentes partes intensivas qualitatum, qualitas remissa, quae nunc est dispositio, non habitus, erit pars illius qualitatis quae postea erit habitus. Quamvis ponentes eandem qualitatem posse intendi et remitti, dicant eandem qualitatem minus intensam esse dispositionem et alias magis intensam esse habitum. Et ponentes tertio in alteratione esse continue aliam qualitatem et aliam, sicut in augmentatione continue est alia quantitas, dicunt quod dispositio quae non est habitus non est pars nec erit pars habitus, nec etiam erit habitus; sed desinet esse dispositio quae non est habitus quando incipiet esse habitus.

Notandum secundo quod, quando Aristoteles dicit quod contingit aⁿ per longitudinem temporis transferri in aliam naturam alicuius, non est intelligendum quod talis dispositio fiat de natura alterius, sed fit difficiliter mobilis, ac si consequeretur naturam complexionalem alterius; non -supple- quod oporteat eandem dispositionem esse sic radicatum posterius, sed quia post illam dispositionem invalescentibus causis generatur alia dispositio multum intensior et permanentior, propter firmitatem et fortitudinem suarum causarum, sicut contingit de morbis et aliis.

Aliud vero genus. Hic consequenter determinat de his quae sunt in secunda specie qualitatis. Et dicit “aliud vero genus” et non “alia species” ad innuendum quod illae species non sunt species specialissimae, sed species subalternae. Sunt autem in ista specie omnes qualitates insensibiles naturales vel naturaliter inexistentes. Omnes enim tales sunt naturales potentiae vel impotentiae. Et loquor de naturale prout excludit artem, violentiam aut voluntatem humanam. Vel alias dicit “aliud vero genus etc.” quia potentia naturalis vel naturalis impotentia numquam veniunt in eandem speciem specialissimam, sicut faciunt habitus et dispositio, et ideo non dicit “alia species etc.”, sed “aliud genus”.

Sed hic notandum quod aliquando large loquendo omne posse dicitur potentia, et aliqua talis vocatur “potentia logica”, ut potentia qua Antichristus potest esse, quae proprie non est ens reale seu positivum, <f.132v> sed veritas vel ens logicum in Deo fundatum. Et ideo talis potentia est actu[s] prior, puta esse primi principii a quo est quod taliter potest esse. Sed secundo modo accipitur potentia pro posse naturali fundato in causata respectu non existentis, quomodo dicimus omnia producibilia naturaliter esse in potentia suorum agentium et omnia eadem esse in potentia materiarum suarum. Tertio modo accipitur potentia pro sufficientia actuali substantiae ad agendum, resistendum vel recipiendum actionem aut aliud qualecumque. Et talis aliqua est naturalis, et illa potentia est in secunda specie quali-

tatis, et alia est praeternaturalis vel artificialis, qualis est communiter in prima specie. Quarto modo accipitur potentia pro aggregato ex multis potentiis, ut corpus potens in multas actionem distinctas in specie dicimus magnae potentiae. Quinto modo abusive dicunt sophistae substantiam potentem esse virtutem seu potentiam, et secundum quemlibet illorum graduum est divisio potentiarum in potentiam activam et potentiam passivam. Et in quolibet illorum, ad modum loquendi Philosophi, IX *Metaphysicae*, est actus prior potentia, ut quo ad potentiam prius naturaliter fuit Deum esse quam ipsum posse producere mundum aut mundum posse produci, et prius naturaliter est res creatas incorruptibiles esse quam ipsas producere res ab eis generabiles, vel ad hoc sufficere, sicut prius naturaliter est esse materia prima quam ipsa passive sufficit quod tale causatum ex ipsa producat. Prius etiam est substantia quam eius sufficientia (*lectio valde dubia*) accidentalis, sicut prius naturaliter est principium activum quam fundamentum naturae, quod est materia prima.

Uterius notandum quod dupliciter potest aliquid dici potens absolute quantum ad propositum, aut active aut resistive. Active quod habet sufficientiam ad agendum faciliter. Resistive quod habet sufficientiam actione impediendi. Et dicitur impotentia defectus huiusmodi sufficientiae ad agendum vel defectus sufficientiae ad resistendum. Unde videtur mihi quod impotentia non est proprie qualitas, sed privatio, nec est privatio simpliciter, sed secundum quid. Non enim dicitur impotens quia nihil sufficit agere, sed quia nihil vel debiliter. Sumitur tamen aliquando impotentia pro pura privatione; sicut impotens ad prolificandum dicitur qui prolificari non sufficit. Et sic impotentia potest sumi tot modis privative oppositis quot modis sumitur potentia positive. Aliquando tamen sumitur pro potentia activa diminuta, et aliquando pro passibilitate vel potentia passiva. Et largissime aliquando sumitur impotentia pro qualicumque accidente per quod subiectum taliter indisponitur ad agendum vel etiam resistendum; sicut et potentia sumitur large pro omni accidente per quod subiectum disponitur ad agendum seu faciliter resistendum. {Et hoc secundum Burley, qui dicit quod eadem qualitas est in istis quattuor speciebus - *notatur mg., alia manu*} Sed non est potentia vel impotentia genus qualitatis, sed solum <f.133r> prout dicunt qualitates insensibiles naturales per quas subiecta disponuntur ad agendum formaliter seu actionem impediendum, vel per quas subiecta indisponuntur formaliter ad agendum vel resistendum. Potentiae enim artificiales non sunt per se in hac secunda specie, sed in prima specie. Qualitates etiam sensibiles quae disponunt subiecta ad agendum seu resistendum non sunt in hac specie, sed in tertia vel in quarta, quamvis possunt large dici potentiae modo suo. Naturalis enim potentia calefaciendi vel siccandi ignis distinguitur ab eius caliditate vel siccitate, cum illis manentibus aequae intensis et aequae multis stat potentias calefaciendi et siccandi vel intendi vel remitti. {Argumentum contra opinionem

Burley in ista materia - *notatur mg. alia manu*} Et conformiter de omni alia qualitate sensibili est dicendum. Ignis tamen caliditate efficienter calefacit et est potens calefacere; sed potentia est formaliter potens, caliditate formaliter calidus, et calefactione formaliter calefaciens. Nec est qualitas subiectum talis potentiae, quamvis ipsa mediante qualitate potentia insit subiecto suo, sicut potentia calefaciendi inest soli ratione lucis. Si tamen qualitas posset per se esse, tunc diceretur ipsam esse subiectum potentiae. Solae ergo virtutes insensibiles cuiusmodi sunt virtutes qualiumcumque substantiarum, sive corruptibilium, cuiusmodi sunt virtutes lapidum et herbarum, sive incorruptibilium, ut animae vel intelligentiarum, quae naturaliter eis insunt, dicuntur esse in hac secunda specie qualitatis.

Expone ergo sic textum: aliud vero genus qualitatis est secundum quod aliqui dicuntur formaliter pugillatores (id est: potentes ad pugnandum) vel cursores (id est: potentes ad currendum) vel salubres (id est: naturaliter potentes ad operandum vitaliter) vel insalubres (id est: naturaliter impotentes ad operationes vitales). Et potest dici quod potentia et impotentia non differunt nisi secundum magis et minus, ut remissius dispositus ad operationes vitales dicatur insaluber et intensius dispositus dicatur saluber. Et tunc oportet notare latitudinem, sicut dictum est superius, de dispositione et habitu. Et ideo oportet notare certum gradum in ista latitudine, et omne quod disponitur naturaliter sub illo gradu vel citra dicitur impotens, et si supra istum gradum intendatur impotentia dicitur potens. Et sic omnis impotentia foret potentia, sed non e converso. Et ita dicitur de omnibus aliis quaecumque secundum potentiam naturalem vel impotentiam dicuntur.

Vel possunt secundo dici salubres qui habent potentiam resistendi faciliter causis contrariis, et insalubres qui indisponuntur naturaliter ad sic resistendum.

Non enim quoniam sunt. Probat quod qualitates nominatae non sunt in prima specie dicens: “Non enim dicuntur homines huiusmodi, scilicet pugillatores etc., quoniam <f.133v> sunt dispositi alio modo, unumcumque (id est: propter qualemcumque aliam dispositionem praeternaturalem), sed solum dicuntur huiusmodi secundum quod habent potentiam naturalem et activam, scilicet ad aliquid faciliter faciendum vel resistendum, scilicet ad nihil faciliter recipiendum vel patiendum, ut pugillatores naturaliter vel cursores naturaliter dicuntur, non quia dispositi sunt ab arte vel exercitio, sed quia habent ex natura sine arte vel exercitio talem potentiam. Sanativi autem dicuntur qui habent naturalem potentiam ut nihil patientur a quibuslibet activitatibus (acti^{bus}) (id est: extraneis). Sed aegrotativi dicuntur qui habent impotentiam naturalem nihil patiendi (id est: qui non habent sufficientiam naturalem ad simpliciter resistendum). Illud enim est impotens ad nihil patiendum quod ita modice est potens ut faciliter patiat ab extraneis. Similiter de duro et molli. Dicitur enim durum quod habet potentiam non cito se-

cari (id est: quod habet sufficientiam ad resistendum sectionem), molle vero dicitur eo quod habet impotentiam”.

Sed hic obicitur, quia dictum est prius quod solae qualitates insensibiles naturales sunt in secunda specie, cum tamen durities et mollities nominantur in secunda specie, quae videntur esse qualitates sensibiles.

Sed hic dicitur, sicut prius, quod solae qualitates insensibiles naturales, quae scilicet non agunt immediate intentionem in organum sensitivum, sunt in secunda specie. Et pro obiectione notandum quod durities est quaedam sufficientia corporis ad resistendum tangenti, et mollities est quaedam dispositio corporis qua disponitur ad cedendum faciliter comprimenti - quae videntur mihi non potius esse sensibiles quam fortitudo naturalis quae consistit in membris solidis vel virtus attractiva adamantis vel omnia quorum effectus possimus sentire sed non illa. Sed sicut videndo aliquod corpus partes sibi attrahere post puncturam concludo per discursum captum a motu quod ipsum est vivum, ita videndo comprimens ad moveri infra limites corporis sit compressi, sine partium discontinuitate percepta, aut sentiendo quod impulsu facili separantur partes ab invicem, concludo illud corpus esse molle. Et si videam deficere talem motum est mihi evidens ipsum esse durum.

Notandum tamen ultra quod aliqua possunt dici dura tripliciter. Uno modo quia habent sufficientiam ad non cedendum vel ad de difficili cedendum comprimenti. Sed secundo dicuntur aliqua dura quia habent sufficientiam ad resistendum sectionem. Et patet quod caelum et supracaelestia sunt tam primo modo quam secundo summe dura. Terra autem, quamvis sit primo modo summe dura, non tamen secundo modo, cum patitur, licet de difficili, sectionem. Sed corpora media possunt <f.134r> dici tripliciter dura propter participationem terrae et quietem ab extrinseco laxantur, ut lapides et metalla; mixta tamen quae sunt aquaea, dummodo sunt a calido solubilia, sed non sic solvuntur terrestria. Tertio modo dicuntur aliqua dura propter hoc quod sunt constanter resistiva tactui propter repugnantiam dispositionis quam acquirerent ex cessione; et isto modo aer condensatus inter duos planos lapides tantum resisteret quod omne violentans in mundo non sufficeret cum paribus ultra exprimere. Quarto modo dicitur aliquid durum quia fit constans per frigus ductive (*lectio dubia*) congelans: aut indissolubiliter, sicut in crystallo habente proportionalitatem de puro terreno ex forti et diuturno in frigidanti indurato, vel dissolubiliter, ut in glacie quae propter habundantiam aquaeitatis et brevem congelationem solvitur a calido. Et patet sufficienter responsio.

Et conformiter foret dicendum de gravitate et levitate, cum gravita secundum Jordanum *De ponderibus* est virtus vel potentia ad inferiora tendendi quae est aequae intensa in qualibet parte terrae

purae, sicut caliditas in qualibet parte ignis. Et levitas est virtus ad superiora tendendi. Et certum est quod ille virtutes non sunt sensibiles, quamvis ex motu sursum vel deorsum sunt connci^{les}. Sumitur tamen gravitas aliquando pro ponderositate quae requirit intentionem gravitatis primo modo dictae. Et hoc in multa quantitate, ita quod quanto per maiorem materiam extenditur gravitas primo modo dicta sub aequo intenso gradu tanto est ipsum corpus gravius et quanto per minorem tanto levius; ita quod levitas dicit privationem quantitatis in habente gravitatem primo modo dictam. Et tertio sumitur gravitas aliquando pro idoneitate vel sufficientia ad descendendum secundum datam applicationem et nisum, quae vocatur “gravitas secundum situm”. Et sic pondus elevatum in brachiis aequilibris redit ad aequalitatem elevando pondus aequale appensum in altero brachio, quia plus capit de directo. Et illud dicitur capere plus de directo quod potest secundum datam applicationem descendere secundum lineam plus accedentem ad perpendicularem stantem supercentrum terrae, sicut dicunt tractantes de ponderibus. Et sic dicit [com] Commentator grave descendens fieri continue actu gravi<us>, id est: magis idoneum ad descensum. Et propter hoc naturaliter mota velocitant motus suos versus <f.134v> finem, cuius causam ponit Commentator duplicem in I *De caelo*, commento 6°, scilicet subtractionem medii ex confricatione gravis descendens offendens ad latera medii resistentis, ex qua confricatione sequitur generatio caloris rarefacientis et subtiliantis medium. Secundam causam ponit esse ex intensione appetitus ex appropinquatione ad terminum naturalem. Sed de istis sufficiens.

Sed oportet cavere frequenter de distinctione potentiae naturalis a potentia acquisita. Sunt enim aliqui cursores ex industria et ab arte; et talis potentia dicitur esse in prima specie. Aliqui etiam dicuntur cursores a natura; et talis potentia dicitur esse in secunda specie. Aliqui etiam habent potentiam naturalem ad operationes vitales quae est in secunda specie. Et aliqui habent potentiam talem acquisitam per medicinas aut exercitium, quae est in prima specie. Aliqua etiam est fortitudo quae est virtus aggrediendi terribilia, ut oportet quae est in prima specie. Et aliqua est fortitudo quae est robur consistens in membris solidis, et ista est qualitas de secunda specie. Ignis etiam ascendit a levitate quae est potentia naturalis in secunda specie. Et ferrum ascendit ad adamantem ex virtute praeternaturali inducta quae est in prima specie. Et ita de multis aliis quae de difficili distinguuntur; propter cuius ignorantiam multi crediderunt has species non distinguui ab invicem.

Sed contra ista[m] obicitur sic: nam ex isto sequitur quod sanitas naturalis et sanitas habita per artem forent diversarum specierum, et ita de potentia currendi naturali et de potentia tali acquisita. Et a pari videtur quod calor generatus ab igne et calor generatus a sole forent diversi in specie. Consequens

contra rationem, cum identitas specifica talium non capitur nisi ab effectibus, qui non diversificantur in igne generato ab igne et igne generato a sole.

Sed hic dicitur quod sicut ignis generatus a sole et ignis generatus ab igne sunt eiusdem speciei specialissimae, ita calor unius et calor alterius sunt eiusdem speciei. Et cum non sit aliquid formaliter et primo calidum calore sensibili sensu tactus nisi ignis vel aer, patet quod omnis calor est naturalis subiecto suo primo, quamvis contingat tam calorem quam subiectum caloris inesse praeternaturaliter mixto. Non ergo sequitur: 'calor <f.135r> generatus a sole et calor generatus ab igne, quorum uterque est naturalis subiecto suo primo, sunt eiusdem speciei; ergo per idem sanitas quae est potentia naturalis et sanitas praeternaturalis sunt eiusdem speciei', et causa est via sicut habitus virtuosus compatitur secum dispositionem naturalem ex parte complexionis ad vitium, ita potentia naturalis quae est sanitas compatitur secum quantamcumque intensam infirmitatem; et cum nulla sanitas quae est habitus praeternaturalis sic compatitur, patet diversitas.

Tertia vero species qualitatis est passibiles qualitates et passiones (id est: qualitates sensibiles quae non consequuntur positionem quantitatis). Sunt autem huiusmodi dulcedo, amaritudo, austeritas et omnia his cognata (id est: similia); amplius calor et frigus, albedo et nigredo. Probat autem Philosophus primo quod hae sunt qualitates; secundo investigat causam quare dicuntur qualitates passibiles; et tertio quomodo differunt passiones et passibiles qualitates; et quarto tractat de quibusdam quae non per se, sed per reductionem dicuntur esse in ista tertia specie, quae aequivoce etiam nominantur passiones seu passibiles qualitates, sicut patebit posterius. Dicit ergo quantum ad primum quoniam istae sunt qualitates. Patet quia quaecumque illa suscipiunt in se subiective dicuntur qualia formaliter secundum illa, ut mel, quia subiectat dulcedinem dicitur quale per illam, quia dulce; et corpus in eo quod suscipit albedinem dicitur quale quia album; et sic de aliis. Passibiles qualitates dicuntur non quia subiecta illarum qualitatum aliquid patiantur in recipiendo talium qualitatum denominationes, quia mel non idcirco dicitur dulce quia aliquid patitur; et ita de aliis qualitatibus sensibilibus sensu gustus. Similiter autem calor et frigus, quae sunt sensibiles sensu tactus, dicuntur qualitates passibiles non quia subiecta illarum ab ipsis aliquid patiantur, sed singula haec dicuntur qualitates passibiles quia perfectiva sunt alicuius passionis circa qualitatem sensuum. Ideo enim dicuntur ista passibiles qualitates quia nata sunt immutare organa sensuum exteriorum, ut dulcedo efficit quamdam passionem circa gustum, vel saltem nata est efficere; et calor secundum tactum; <f.135v> similiter autem et aliae. Sed albedo et nigredo et alii colores sensibiles sensu visus non dicuntur passibiles qualitates consimiliter omnino (omnia *ms.*) sicut qualitates sensibiles ab aliis sensibus. nam aliae qualitates sensibiles immutant realiter organa sensuum

inducendo qualitatem sensibilem similem eis in specie, aut alias realiter veniunt ad organa sensuum, ut caliditas immutat sensum tactus inducendo calorem; odorifera inducunt (*lectio dubia*) in organa odoratus fumosam evaporationem in humido **enchimo(?)** subiectam - et huius est quod odorifera confricata propter habundantiorem exalationem vaporis vehementius odorat. Gustabilia etiam quasi quodammodo tangibilia immutant realiter organum gustus. Audibilia autem movent realiter aerem usque ad aures movendo aerem in **meringa ???** Et omnia haec cum successione transmutant. Sed visibilia subito et spiritualiter immutant sensus. Et haec est una causa quare qualitates visibiles non omnino similiter cum aliis qualitibus sensibilibus dicuntur passibiles qualitates.

Istam tamen causam non tangit textus, sed alia causa, quam tangit textus, est quod colores et aliae qualitates visibiles ab intrinsicis passionibus innascuntur; ideo dicuntur passibiles qualitates. Et probat hoc sic: nam quod sunt multae mutationes colorum per aliquam passionem manifestum est. Erubescens enim fit rubeus et timens pallidus, et conformiter generatur unumquodque talium passionum secundum speciem in tantum quod si quis naturaliter, scilicet ex complexione radicali, passus sit aliqua talium passionum, ut supple si sit dispositus complexionaliter ad verecundiam vel iracundiam aut aliam quamcumque talem passionem, oportet eum habere similem colorem correspondentem ad complexionem intrinsicam. Quae enim affectio (id est: dispositio) vel color nunc ad verecundiam ex casu proveniente factam est circa corpus eadem (id est: similis in specie) fiet affectio (id est: dispositio) vel coloratio, ita ut naturaliter insit. Et sic color naturalis, si passio ex qua provenit fuerit naturalis, ut si quis sit naturaliter <f.136r> verecundus, naturaliter rubet; si naturaliter timidus, naturaliter pallidus. Et ita de aliis. Sed non sic se habent colores in inanimatis, quae nec verecundantur nec pallent timore. Ideo istam diversitatem non habent colores nisi per comparisonem ad animata.

Causa autem transmutationis in animatis est haec: cor, quod est membrum principale in homine, sicut rex in civitate, propter tristitiam causatam ex superveniente timore multum constringitur, et ideo sanguis, qui est amicus naturae, cuius virtus originatur in corde, ab aliis membris undique confluit ad suum principium confortandum; et sic in facie propter defectum sanguinis apparet pallor quando vero quis verecundatur propter turpe aliquod vel apparet turpe tunc patitur homo principaliter in facie ex praesentia quam apparet declinare curritque sanguis ad faciem confortandam, quae ex hoc apparet perfusa rubore.

Quaecumque. Hic ponitur differentia inter passionem et passibilem qualitatem. Ubi primo notandum quod sicut ex textu potest capi in isto capitulo triplici modo dicitur esse aliqua passibilis qualitas. Aut quia est qualitas nata inferre passionem sensui. Et sic omnes qualitates sensibiles sunt passi-

biles qualitates. Secundo modo dicitur aliqua passibilis quia ex aliqua passione intrinseca de difficili mobili innascatur, ut rubor in disposito naturaliter ad verecundiam, aut pallor in complexionaliter iracundo sed tertio modo dicitur passibilis qualitas ipsa affectio animae consequens naturaliter aut praeternaturaliter ad complexionem, ut iracundia, dementia et huiusmodi.

Secundo notandum quod passio uno modo sumitur pro praedicamento, de quo dicitur super *Sex principia*. Sed secundo modo sumitur pro proprio alicuius speciei, cuiusmodi est risibiliats. Tertio modo sumitur pro qualibet actione animae ad quam consequitur gaudium vel tristitia, sicut loquitur Philosophus in *Ethycis*. Quarto modo sumitur pro qualitate sensibili de facili mobili. Et quinto sumitur pro qualitate insensibili de facili mobili causata in anima compatienti corpori, ad quam sequitur passio sensibilis <f.136v> quarto modo dicta. Et dicitur ergo quod passibilis qualitas secundo modo dicta et passio quarto modo dicta differunt sicut habitus et dispositio, non specificice, sed secundum intensionem; ita quod est dare latitudinem. Et qualitas permanens ultra signatum gradum est passibilis qualitas, sed qualitas sub dato gradu, vel citra, erit passio, non passibilis qualitas. Et probabiliter potest dici quod eadem qualitas est passibilis qualitas et passio, sed respectu diversorum, quia rubedo in sanguine ascendente est passibilis qualitas respectu sanguinis et passio respectu faciei.

Et potest hoc non solum intelligi de coloribus, sed etiam probabiliter potest dici quod color adventitius et aliae qualitates sensibiles praeternaturales sunt conformiter passionem vel passibiles qualitates, ita quod calor in aqua potest dici passibilis qualitas respectu ignis et passio respectu aquae, quamvis non intrinsece denominat aquam calidam, cum ipsa non sit formaliter calida, ut creditur, sed ipsum aggregatum ex aqua et igne propter sensibiliores qualitates nominat vulgus aquam calidam.

Dicunt alii, non minus probabiliter, quod ascendente sanguine in faciem causatur novus color, qui est passio solum, et movet eos quod omnis color est lux incorporata in perspicuo terminato. Et quia per ascensum sanguinis fit nova incorporatio lucis in pelle dyaphana ex superveniente rubedine, ideo fit novus color, ad modum quo sole lucente per virtutem causatur rubedo quaedam adventitia in pariete. Nec oportet timere instantias sophisticas quibus suadetur sanguinem non ascendere naturaliter nec violente quia sanguis praeternaturaliter ascendit ex limitatione virtutis regitivae totius corporis, sicut aqua ascendit propter conservationem pleni. Ubi dicunt alii motus tales esse naturales naturalitate secunda, sed non naturalitate prima.

Sequitur ergo in textu: “quaecumque igitur talium casuum (id est: qualitatuum sensibilium praeternaturalium) sumpserunt principium causabantur ab aliquibus passionibus intrinsecis difficile mobilibus (id est: cum difficultate deperdibilibus et diu permanentibus), passibiles qualitates dicuntur, sive e-

tiam secundum naturalem substantiam <f.137r> (id est: naturalem complexionem substantiae) pallor aut nigredo facta dicuntur passibiles qualitates. Quales enim eas dicimur sive insunt naturaliter ex complexione, sive praeternaturaliter per aegritudinem longam, aut propter aestum (id est: calorem) aut aliquid tale xxxxxx cum contingat ut nigredo vel pallor et non facile praeterit, sed immutabilis permanet, qualitates passibiles et illae dicuntur. Nam secundum eas quales dicimur (id est: dicuntur conformiter quales secundum tales qualitates praeternaturales, sicut secundum qualitates ex complexione naturaliter provenientes)”.

Et patet quod Aristoteles vult quod qualitas sensibilis de qua est locutio pro praesenti, sive fuerit naturaliter inexistentis sive casualiter ab extrinseco adveniens, adhuc dicetur passibilis qualitas cum fuerit permanens et de difficile mobilis ad sensum limitatum. Quaecumque vero qualitates fiuntur ex his quae facile solvuntur, id est: corrumpuntur stante subiecto, et cito transeunt passionem dicuntur. Non enim dicimur secundum eas quales vulgariter vel ex consuetudine. Nam rubens factus propter verecundiam non propter hoc dicitur vulgariter rubeus homo; nec cum pallor venit propter timorem dicitur quis vulgariter pallidus homo, sed magis dicitur quod passus est aliquid. Quare huiusmodi dicuntur passionem, id est: propterea dicuntur passionem qualitates passibiles minime, id est tales qualitates adventitiae dicuntur passionem et non passibiles qualitates. Aequivocando tamen de passibili qualitate secundum primum modum loquendi possunt tales passionem dici passibiles qualitates, quia natae sunt inferre passionem sensibus.

Similiter autem et his. Hic determinat de passibili qualitate tertio modo dicta et quomodo ipsa differt a passione quinto modo dicta, dicens: “Similiter autem et his (id est: ad similitudinem harum qualitatum corruptibilium) dicuntur aliquae passibiles qualitates seu passionem secundum animam, quia quaecumque mox innascendo ab aliquibus passionibus fiunt in anima (id est: quaecumque statim sunt innata ipsi animae a natura complexionis) qualitates passibiles dicuntur, ut dementia, <f.137v> ira et alia huiusmodi. Nam secundum eas dicimur communiter iracundi vel dementes et huiusmodi. Similiter etiam quaecumque alienationes (id est: alienae qualitates quae sunt ex causa extrinseca) non naturaliter, sed ex aliquibus casibus sunt factae difficile praetereuntes et omnino immobiles, quasi omnino indeperdibiles a subiecto, omnes -inquam- tales sunt passibiles qualitates animae, quia dicimur secundum eas quales. Quaecumque vero fiunt ex causis quae cito transeunt, dicuntur passionem. Ut si quis fiat iracundus quia contristatus. Non enim dicitur vulgariter et consuetudinaliter homo iracundus propter hoc solum quia ex tali passione irascitur, cum valde mansuetos contingit aliquando irasci. Ideo tales passionem dicuntur et non passibiles qualitates”. Quando Aristoteles dicit quod tales dicuntur passionem

qualitates vero minime, non vult simpliciter quod non sint qualitates, sed quod non sint passibiles qualitates.

Notandum tamen quod istae qualitates animae quae de facto sunt insensibiles non sunt per se in hac tertia specie qualitatis, sed magis in prima vel secunda specie.

Pro quo notandum quod aliqua est pravitas naturalis consequens ipsam complexionem inclinans ad iracundiam, dementia vel ad aliquid huiusmodi; et ista pravitas sicut non est propria passio, sic nec proprie est dementia vel iracundia etc. Quod si vocetur iracundia vel dementia etc., eo quod inclinatur ad actus iracundiae, tunc talis iracundia vel dementia est potentia naturalis de secunda specie. Et ista potest per exercitium virtutis aliquantulum mitigari quo ad actum, quamvis manente complexione non possit simpliciter tolli. Aliquando tamen, ubi non est pravitas ex parte naturae inclinans ad huiusmodi actus, ex frequentia tamen talium actuum generatur dispositio vel habitus praeternaturalis quae est in prima specie, quae potest per assuefactionem ad contrarium simpliciter tolli. Et tales habitus vel dispositiones praeternaturaliter acquisiti nominantur proprie talibus nominibus: 'iracundia', 'verecundia', 'dementia', 'ira' etc.

Verumtamen, sive sint naturales sive praeternaturales, dummodo fuerint habituate dicuntur passibiles qualitates. Et sic est dare iracundiam potentiam naturalem de secunda specie, et iracundiam habitum de prima specie, quarum utraque est passibilis qualitas; et est dare iracundiam dispositionem de prima specie quae est passio non passibilis qualitas. Et est quarto dare iracundiam actum animae. Et ita de aliis. Sic <f.138r> ergo non sequitur quod ista nominata sunt in tertia specie, quamvis sint passibiles qualitates ad sensum aequivocum cum qualitatibus sensibilibus, ut patet de distinctione superius posita. Numerantur tamen istae qualitates inter qualitates de tertia specie non quia sunt per se in illa tertia specie, sed quia causant qualitates sensibiles et passibiles, aut passiones corporales, quae sunt in tertia specie. Ideo dicuntur per reductionem esse in ac tertia specie, eo quod sunt causae et principia rerum quae sunt per se in illa specie. Et quia sicut colores consequuntur ut plurimum dispositiones complexionum, ideo pertinens fuit post declarationem illorum tractare de reliquis.

Quartum vero genus qualitatis est forma et circa aliquid constans figura. Ubi notandum quod forma capitur aliquando pro omni ente secundum quod substantia dicitur formaliter aliquid vel alicuiusmodi et isto modo non solum accidentia, sed universalia substantiae anima intellectiva cum aliis formis substantialibus dicuntur formae; sed non ita large accipitur forma ab auctore *Sex principiorum*, ut patebit ibidem. Sed alio modo accipitur forma pro idea vel exemplari secundum quod extrinsece aliquid exemplariter est formatum; et sic dicitur ab auctore *De causis* quod omnes intelligentiae sunt plenae

formis, id est: rationibus exemplaribus. Sed tertio modo accipitur forma pro formositate seu figurazione corporis animati, ut in proposito. Figura enim praeter significationem quam habet a grammatica ponente figuram dictionis respicere eius quantitatem, an scilicet ipsa sit simplex aut composita, aliquando sumitur pro imagine vel exemplari; et ita Aristoteles in *Antepaedica* ponit “figuraliter” (id est: exemplariter). Sed aliter sumitur pro quantitate figurata; et sic loquuntur tam philosophi quam geometri, ponentes certas species figurarum repletivas loci, ut loquitur Commentator in IV *Caeli et mundi*, commento 9°. Et dividitur in figuram solidam, quae est quantitas corporea et in figuram planam, quae est superficies figurata. Et tertio modo sumitur pro qualitate sensibili consequente positionem quantitatis; et proprie competit inanimatis, quamvis communiter capitur pro qualiumcumque figurarum figurazione. Et de figura isto modo sumpta est dubium utrum sit extensa vel multiplicata.

Pro quo notandum quod aliqua est figura linealis (linearis *ms.*); et illa est extensa per lineam siue per substantiam linealem, ut figura triangularis est extensa adaequate per lineam adaequate includentem superficiem <f.138v> triangularem - et ita de aliis. Nec dubium quin talis figura distinguitur a linea, cum eadem linea manente stat figuram quamlibet variari, ut patet in curvatione laterum trianguli seu quadrati captis duabus lineis costalibus alicuius quadrati continuatis in angulo quadrati, si moveantur quousque constituent lineam rectam, manet continue eadem linea sed non eadem figura. Sed alia est figura superficialis quae est extensa per superficiem et composita est ex figuris linealibus, secundum opinionem ponentem compositionem continui ex non quantis. Et talium, alia est plana, ut illa quae extenditur per superficiem planam, et illa vel est triangulus, qui extenditur per superficiem planam triangularem, vel est quadrangulus, qui extenditur per superficiem quadrangulam, et ita de aliis. Sed alia est figura solida, quae extenditur per superficiem claudentem undique corpus. Et talis figura, cum sit superficialis, non dicitur solida quia corporea, sed quia figurat solidum in extremis. Ideo alia est figura solida extensa per corpus, quae componitur ex figuris superficialibus; et ideo corpus figuratur duplici figura. Nam intrinsece figuratur figura corporea tanta sicut est ipsum corpus, et extrinsece figuratur figura superficiali quae est in superficie externa. Utraque tamen figura est res eterogenea composita ex diversis figuris in specie. Et ad auctorem *Sex principiorum* dicitur quod non vult omnem formam esse simplicem, excludendo omnem compositionem simpliciter, neque excludendo compositionem ex partibus diversarum naturarum, sed excludendo compositionem ex materia et forma, quod proprium est soli corpori composito. Et patet quod stat corpus manere continue figuratum extrinsece figura intrinseca quantumlibet variata. Ideo dicitur figura non simpliciter quantitas, sed qualitas consequens positionem quantitatis.

Aliis tamen placet quod non est dare figuram corpoream extensam sic per totum, sed omnis figura corporis est subiective in superficie extrema ipsum claudente.

Expone ergo sic textum: “Quartum vero genus qualitatis est forma, quae scilicet est figuratio corporis animati, et circa aliquid constans figura, quae <f.139r> proprie est figuratio corporis inanimati”. Ubi textus videtur innuere omnem figuram esse primo in superficie, ut linea, in hoc quod dicit: “circa aliquid constans figura”. Et dicit: “genus”, quia forma et figura non coincidunt in eandem speciem specialissimam, eo quod forma proprie competit animatis et figura inanimatis, ut dictum est. Vel aliter dicit “genus” ad innuendum quod haec species non est specialissima. Vel potest sic exponi: “quartum vero genus qualitatis est forma (id est: figura) circa aliquid constans”, ita quod idem sit forma et figura. Nec connotat ly “circa” circumstantiam localem, sed magis habitudinem accidentis ad subiectum. Sic ergo secundum illa expositionem eadem est forma et figura, quamvis generalior est figura.

Amplius autem adhuc rettitudo et curvitas, et si qua sint alia his similia. Ipsa enim sunt in hoc quarto genere, cum sint qualitates consequentes positionem quantitatis. Et patet quod nec ‘forma’ nec ‘figura’ nec utraque coniunctim est nomen generale huius speciei, cum omnes aliae qualitates sensibiles consequentes positionem quantitatis sint in hac specie. Et quod ista nominata sint qualitates patet, quia secundum unumquodque illorum dicitur aliquid quale, ut triangulum, quadrangulum aut huiusmodi.

Ubi notandum quod haec nomina ‘triangulus’, ‘quadrangulus’ sumuntur nunc adiective pro huiusmodi significato, nunc abstractive pro figura quae est tringularitas vel quadrangularitas, et sic nunc dicuntur significare quantitatem taliter figuratam, nunc positionem huiusmodi quantitatis, et nunc quinto dicuntur significare qualitatem sensibilem ex tali positione resultantem. Et in istis fiunt variae intricaciones propter multiplicitem termini sic aequivoci et similitudinem rei sic significatae.

Rarum vero. Hic videtur Aristoteles removeere quaedam ab isto genere quae videntur esse qualitates sed non sunt, dicens: “Rarum vero (id est: raritas) et spissum (id est: spissitudo seu densitas), asperum (id est: asperitas) et lene (id est: lenitas) putantur quidem qualitates significare, sed aliena videntur huiusmodi esse a divisione quae est circa qualitatem (id est: a speciebus in quas qualitas secundum genus dividitur). Nam potius videntur quamdam positionem partium utrumque (id est: utraque combinatio) <f.139v> significare. Nam spissum (id est: densum) dicitur aliquid eo quod partes eius subiecto ipso vel sub ipsis propinquae fiunt. Rarum vero eo quod distent a se invicem partes. Similiter lene dicitur quia in rectum sibi partes iacent. Sed asperum dicitur quia una pars alteri supereminet”.

Deinde recapitulat quantum ad has quattuor species dicens: “Et fortasse alii quoque apparent

qualitatis modi, sed hi de quibus dictum est maxime dicuntur (id est: maxime sunt famosi vel maxime generales) et illae quae dictae sunt sunt proprie qualitates”.

Hic notandum quod raritas aliquando concipitur prout dicit paucitatem materiae in comparatione ad locum. Et, ut putant sic dicentes, idem corpus per egressum partium intensivarum materiae potest maiorari rarefiendo sine nova acquisitione materiae. Et e contra de densitate, quam ponunt dicere multitudinem materiae in comparatione ad locum. Quamvis melius iuxta istam viam diceretur quod raritas foret subtilitas consequens ad talem paucitatem et densitas foret corpulentia vel grossities consequens multitudinem materiae in comparatione ad locum. Et ita videtur mihi quod haec via poneret, cum tam raritas quam densitas sint qualitates, quod omnis rarefactio foret alteratio, quia acquisitio qualitatis. Sed ipsam rarefactionem concomitatur motus localis, qui est egressus unius partis intensivae a reliqua, aut ingressus sive penetratio; et secundo maioratio subiecti per accidens, quae vocatur augmentatio proprie dicta, iuxta sic loquentes. Et sic concomitantur se tres motus, scilicet alteratio, quae est acquisitio huius raritatis vel densitatis, augmentatio vel diminutio, quae est acquisitio vel deperditio magnitudinis vel extensionis, et motus localis, qui est acquisitio ubi vel situs. Et multi huius viae secutores propter defectum huius considerationis calculaverunt usque ad inintelligibiles intricaciones quas nondum poterant explicare. Sed quia talis penetratio corporum est impossibilis, iuxta sententiam Philosophi, nec est aliqua materia composita ex suis partibus intensivis, ideo aliter dicitur quod raritas aliquando sumitur pro subtilitate; et isto modo caelum est rarissimum et elementa <f.140r> in situ superiori sunt inferioribus rariora. Et densitas sumitur privative aut modo contrario pro privatione huius subtilitatis. Sed secundo modo ad propositum sumitur raritas pro porositate et densitas pro soliditate. Et isto modo corpus in manu compressum sicut lava vel spongea derelictum naturae propriae rarefit extendendo se et deperdendo situs intrinsecos quod aer vel aliud corpus ingrediens occupat. Et densatur corpus quando comprimuntur partes ad invicem extruso corpore alieno, nec propter hoc maioratur corpus vel minoratur, cum magnitudo corporis habet attendi penes multitudinem materiae aut penes multitudinem punctulium (*lectio dubia*) et tantam multitudinem materiae habet tale corpus post sicut ante.

Verumtamen ipsum fit extensius, vel supple longius, latius et profundius, et sic rarefactio foret separatio partium cum interpositione corporis alieni; et densatio foret partium coniunctio vel compressio aut appropinquatio extruso corpore alieno. Et sic videtur loqui textus ponendo quod rarum sit cuius partes a se invicem distant et densum cuius partes propinquae iacent. Et iuxta istam viam leviter dicitur ad intricaciones quae fiunt circa latitudinem raritatis.

Et si allegetur Aristoteles in contrarium asserens quod ex uno pugillo aeris fiunt decem pugilli ignei, dicitur quod loquitur iuxta opinantes primae viae secundum famosos loquentes sui temporis. Sic enim glossant alii ipsum in hoc loco dicentes ipsum fuisse secutum Archytam in multis, licet a veritate deviavit in hoc libro. Vel aliter dicitur quod vult quod ex uno pugillo aeris fiant decem pugilli ignei secundum extensionem, non secundum magnitudinem, cum tanta sit materia utrobique, quamvis in igne sit extensior quam in aere propter multiplicationem fumorum aut aliorum huiusmodi corporum in poris sic extensi propter varios appetitus corporum igneorum noviter generatorum, ascendentium secundum diversas diametros.

Verumtamen in igne pedali sive fuerit in sphaera sive alibi, si non sit in eo posita supposita conformitate figurae, non est in eo maior extensio quam foret in pedali terreno ex eodem generato, nec e contra. Nec deduxit unquam Aristoteles ex ratione vel <f.140v> experimento quod sphaera ignis foret decupla in quantitate ad spheram aeris; sicut nec est verisimile perminxxxxx resolutum in fumum implere magnam domum. In talibus enim apparet utrobique continuitas. Cum tamen sit magna porositas seu vacuitas corporis sic extensi quam non percipit sensus, aut propter defectum sensibilis corporis intercepti (*lectio dubia*), aut propter parvitatem foraminis (*lectio dubia*) a tali corpore vacui.

Secundo nota quod asperitas et lenitas, secundum communes expositores, possunt sumi vel pro positionibus quibus partes sibi invicem supereminent, vel sibi invicem in rectum iacent, et secundo pro qualitatibus sensibilibus resultantibus ex tali partium positione. Et primo modo loquitur Aristoteles hic et secundo modo loquitur auctor *Sex principiorum*, capitulo de positione.

Grave tamen videtur distinguere vel penes sensum vel penes intellectum inter qualitates tale et positiones quas dicuntur consequi.

Qualia vero. Haec est secunda pars principalis totius capituli, in qua post quam determinatum est de qualitate secundum se vel suas species, consequenter determinat quae sunt qualia, dicens quod qualia sunt quae sunt secundum haec (id est: qualitates) denominative dicuntur (id est: quae habent nomina contracta a nominibus qualitatum), ut a candore dicitur quis candidus, a grammatica grammaticus, et a iustitia iustus; et ita de aliis. In aliquibus vero qualitatibus, eo quod non habent nomina specialia eis imposita, non contingit subiecta quae dicuntur (id est: quae informantur per tales qualitates) dici ab eis denominative. Aliud enim est dici denominative, vel denominari, large loquendo et aliud dici stricte de denominative. Nam generaliter subiectum informatum qualitate denominatur vel dicitur ab eadem, sed non dicitur denominative, et hoc stricte loquendo, nisi habeat unum nomen contractum a nomine illius qualitatis, quod nomen convenit cum nomine illius qualitatis in principio et discrepat in fi-

ne, ut in exemplis propositis - ut dictu est sufficienter in *Antepredicamentis*. Ideo, cum non sint nomina imposita talibus qualitatibus, tunc non dicuntur subiecta sua denominative ab eis, ut cursor vel pugillator, qui non ab arte dicuntur huiusmodi, sed secundum valitudinem (id est: potentiam naturalem), a nulla qualitate dicuntur denominative huiusmodi, quia non sunt nomina specialia imposita valitudinibus (id est: naturalibus potentiis) secundum quas isti naturaliter sic potentes dicuntur quales, sicut sunt nomina imposita disciplinis (id est: artibus) secundum quas aliqui dicuntur secundum affectionem (id est: artificialiter) <f.141r> pugillatores vel paestrici. Dicitur enim disciplina vel ars pugillatoria vel paestria (id est: luctativa vel ars luctandi). Ideo hi qui afficiuntur (id est: disponuntur) per tales artes denominative dicuntur ab eis quales. Vult ergo Aristoteles quod in naturalibus potentiis non sunt nomina appropriate imposita secundum quae subiecta dicerentur denominative qualia ab huiusmodi naturalibus potentiis; et tamen artibus communiter sunt nomina imposita, et ideo a talibus dicuntur subiecta denominative qualia. Nam talibus artibus magis notis sunt nomina frequenter imposita, ubi potentiis naturalibus propter earum raritatem et ignorantiam non sunt nomina appropriate imposita. Aliquando etiam contingit quod qualitati est nomen impositum et tamen illud quod dicitur quale secundum illam qualitatem non dicitur denominative ab illa secundum idem nomen. Et hoc contingit quando nomen subiecti discrepat in voce a nomine qualitatis, sed non in significatione; ut a virtute dicitur quis studiosus, quia in virtutem habendo dicitur quis studiosus (id est: virtuosus), sed non dicitur denominative studiosus a virtute propter discrepantiam nominum. Sed talis irregularitas non contingit in pluribus. Hoc tamen certum est, quod haec quae dicuntur a talibus qualitatibus aut dicuntur denominative ab eis aut quomodolibet aliter (id est: aliquo aliter, supple formaliter). Et hoc sufficit ad hoc quod sint qualia. Patet ergo quod aliquae sunt qualitates quae denominative dicunt subiecta sua qualia, et aliquae quae non sic dicunt sua subiecta qualia. Et hoc ponit esse dupliciter: aut propter defectum nominum nondum impositorum talibus qualitatibus, aut secundo propter discrepantiam vocis in nominibus sic impositis. Et quantum ad denominationem et praedicationem vide capitulo de denominativis.

<De proprietatibus qualitatis>

Inest autem. Haec est tertia pars principalis huius capituli, in qua determinatur de quibusdam proprietatibus qualitatis . Quarum prima est haec: inest autem contrarietas qualitati, ut iustitia est contraria iniustitiae et albedo nigredini; et multae aliae qualitates. Et non solum hae qualitates, sed subiecta illarum qualitatum dicuntur ad invicem contraria, ut calidum frigidum, iustum iniustum, album nigro contrarium est.

Pro quo notanda est distinctio de contrariis superius posita capitulo de substantia. Non tamen in omnibus qualitibus reperitur talis contrarietas, scilicet completa. Nam rubedini et palledini et aliis coloribus <f.141v> mediis, non obstante quod sunt qualitates, nihil est eis complete contrarium. Dictum est supra quomodo aliqua est contrarietas completa quae est maxima distantia latitudinalis inter formas maxime distantes in ista latitudine et oppositas in genere; et talis non reperitur in mediis talium oppositorum. Sed alia est contrarietas incompleta, quae est medii ad medium vel medii ad extremum; et sic contrariantur colores medii ad invicem.

Amplius notandum est pro regula quod si unum contrariorum fuit qualitas, reliquum erit qualitas. Et hoc est manifestum discurrendo per omnia praedicamenta. Nam si iustitia et contraria iniustitiae et iustitia est qualitas tunc iniustitia est qualitas, quia nullum aliorum praedicamentorum aptabitur iniustitiae: neque quantitas, neque ad aliquid nec ubi, neque omnino quiquam aliud nisi qualitas. Et sic est de aliis. Et haec est regula generalis quo ad ponentes utrumque contrariorum se habere positive, cum aliter non dicerentur proprie contraria.

Sed alii qui dicunt universaliter unum contrariorum se habere positive et aliud privative, ut dicit Aristoteles, X *Metaphysicae*, commento 7° et 16°, quia aliter omne alteratum moveretur duabus alterationibus specificis distinctis , illi dicunt hoc esse intelligendum isto modo: si unum contrariorum fuerit in praedicamento qualitatis per se, reliquum erit per reductionem in eodem. Positivum enim est per se in genere et privativum est per reductionem in genere sui positivi.

Suscipit autem qualitas magis et minus. Haec est secunda proprietas qualitatis, pro qua notanda est distinctio de suscipere magis et minus superius posita. Aliqua enim dicuntur suscipere magis et minus formaliter, ut species qualitatis, quae secundum individua qualitatis pro eodem tempore inest diversis corporibus secundum intensius et remissius et eidem corpori secundum diversa tempora potest inesse secundum huiusmodi individua disparite intensa, ut species albedinis inest diversis albis uni secundum albedinem intensam ut quattuor et alteri secundum albedinem intensam ut octo; et eadem species

quae inest .a. corpori albo secundum gradum ut duo potest alias inesse eidem secundum aliam individuum albedinem intensam ut quattuor. Et ideo dicit textus quod non solum unum album est alio magis album aut unum iustum altero magis iustum, sed et ipsa subiecta incrementum suscipiunt (id est: ipsa eadem subiecta possunt vicissim esse magis et minus huiusmodi), ut idem candidum contingit esse magis candidum. Et patet quod non oportet quod haec singularis qualitas quacumque demonstrata <f. 142r> suscipiat magis et minus, sed satis est quod species suscipiat magis et minus ad sensum expositum.

Conceditur tamen a quibusdam quod eadem qualitas singularis potest per condensationem intendi et per rarefactionem remitti, sed ipsi ponunt consequenter partes intensivas qualitatum.

Et si arguitur quod quantitas suscipit magis et minus, cum ipsum genus potest vicissim inesse secundum magis et minus diversis, dicitur - sicut dictum est prius, capitulo de quantitate - quod quantitas potest suscipere magis et minus secundum denominationem concretam generalem, ut secundum denominationem

concretam longitudinis aut profunditatis aut magnitudinis aut parvitas. Nulla tamen species quantitatis secundum appropriatam denominationem suam specificam potest suscipere magis et minus, ut nullum bicubitum est vel potest esse alio magis bicubitum, nec aliqua tria sunt aliis magis tria. Qualitas tamen tam secundum denominationem concretam generalem quam secundum appropriatam denominationem speciei dicitur suscipere magis et minus, ut unum quale est alio intensius vel remissius quale, ut unum album est alio magis aut minus album.

Et si arguitur quod unum tempus est alio magis diuturnum, et tamen esse diuturnum videtur esse denominatio concreta speciei, dicitur quod cum esse diuturnum est commune ad quando, motum et omne tempore mensuratum, patet quod esse diuturnum est analogum; et per consequens non est concreta denominatio appropriata soli speciei. Sed concreta denominatio temporis est esse temporale, et certum est quod omnia temporalia sunt aequae temporalia et omnia diurna sunt aequae diurna; et ita de aliis quibuscumque concretis appropriatis speciebus temporis, cuiusmodi sunt annus, dies, mensis etc., quae per accidens continentur sub tempore secundum quod huiusmodi et sunt species per accidens temporis. Nam omnia tempora sunt per se in eadem specie specialissima, et tamen tales species per accidens non praedicantur secundum magis et minus secundum denominationes suas concretas, ut unum annale vel biennale non est alio annali vel biennali magis annale vel biennale; et sic de aliis. Et a pari ratione vel fortiori denominatio concreta et appropriata ipsi per se speciei temporis non suscipit magis aut minus. Subiecta tamen quae suscipiunt huiusmodi denominationes dispariter, dicuntur suscipere magis aut mi-

nus materialiter. Notandum tamen quod nullum genus nec aliqua species cuiuscumque praedamenti <f.142v> potest secundum suam rationem essentialem suscipere magis et minus, sed solum secundum proprietatem aut passionem extra rationem essentiae vel substantiae, quae passio vel proprietas inest dispariter contentis sub tali genere vel specie. Ut substantia dicitur suscipere magis et minus secundum proprietatem substandi, quantitas suscipit magis et minus secundum longitudinem, latitudinem, profunditatem, vel aliam proprietatem generalem; qualitas suscipit magis et minus secundum intensiorem et remissionem. Redeundo ergo ad propositum dicitur quod non omnes species qualitatum suscipiunt magis et minus quamvis plures ita faciant. Nam quis potest rationaliter ambigere si iustitia dicitur ad iniustitiam secundum magis et minus. Quidam enim dicunt quod iustitia, sanitas, grammatica et aliae dispositiones vel habitus de prima specie non suscipiunt magis et minus. Indubitanter tamen dicunt isti quod subiecta talium qualitatum denominantur ab eisdem secundum magis et minus, ut unus grammaticus dicitur alio grammatico magis grammaticus non quia sua grammatica est intensior, sed forsitan quia est universalior, ut sciens plura distincte dicitur scientior non quia scientia sua est intensior, sed quia plurimum (*lectio dubia*) habet distinctam scientiam. Vel secundo dicitur unus grammaticus alio magis grammaticus quia firmiter habet grammaticam reliquo. Vel tertio quia plus exercet grammaticam. Et conformiter dicitur quis reliquo iustior vel quia pluribus vel in pluribus facit iustitiam, vel quia firmiter habet iustitiam, vel quia plus exercet actus iustitiae. Et sanior reliquo dicitur quis quia pluribus speciebus sanitarum sanior, vel quia firmiter sanus, vel tertio quia plus exercet actus sanitatis, cuiusmodi sunt operationes vitae.

Triangulus vero et quadrangulus et alia species qualitatis quae consequuntur positionem quantitatum non videntur suscipere magis et minus, nec secundum denominationem concretam uno modo nec alio. Nam quod triangulus et circulus non dicuntur suscipere magis et minus patet, quia quaecumque suscipiunt definitionem trianguli vel circuli omnia simpliciter (id est: aequaliter) sunt trianguli vel circuli. Eorum vero quae non suscipiunt definitionem trianguli vel circuli nihil minus dicitur unum triangulus vel circulus quam aliud. Ubi innuit talen rationem: de nullis dicitur triangulus vel circulus nisi de illis quae suscipiunt <f.143> definitionem trianguli vel circuli vel de illis quae non suscipiunt definitionem huiusmodi; sed de illis quae suscipiunt definitionem trianguli vel circuli non praedicatur triangulus vel circulus cum magis et minus, cum omnes trianguli vel circuli sunt aequaliter trianguli vel circuli. Nec dicitur triangulus vel circulus secundum magis et minus de his quae non suscipiunt eorum definitionem, cum non dicuntur de talibus; ergo triangulus vel circulus non dicitur cum magis et minus.

Et exemplificat pro probatione minoris dicens: *Nihil* (id est: in nullo) *enim est quadratum magis circulus quam forma altera parte longior* (id est: quadratum non est magis circulus quam quadrangulum). Et dicitur “quadrangulum forma altera parte longior” eo quod unum latus est alio suo latere longius. Et patet quod quadratum non est magis circulus quam quadrangulum, quia de neutro eorum praedicatur circulus. Nam neutrum illorum suscipit circuli rationem (id est: definitionem). Et si utrumque, scilicet quadrangulum et quadratum non suscipit rationem circuli non dicitur alterum altero magis vel minus circulus. Non omnes ergo qualitates suscipiunt magis et minus.

Ubi notandum secundum quod prius quod nullum genus nec aliqua species cuiuscumque praedicamenti secundum rationem suam essentialem potest suscipere magis et minus, sed solum secundum proprietatem aut passionem extra rationem ui generis, quae passio vel proprietas inest dispariter contentis sub tali genere vel specie, ut substantia dicitur suscipere magis et minus secundum proprietatem substandi, quantitas suscipit magis et minus secundum longitudinem, latitudinem et profunditatem, vel aliam passionem generalem, qualitas suscipit magis et minus secundum intensionem et remissionem. Et ita de aliis. Et patet quod neutra illarum proprietatum prius recitarum est propria proprie qualitati, cum non competit omni qualitate et soli.

Similia autem et dissimilia dicuntur aliqua proprie secundum solas qualitates. Nam nihil est proprie alteri simile nisi secundum quod ipsum est quale. Ideo proprium est qualitati secundum ipsam aliquid dici simile proprie vel dissimile alteri. Notandum tamen quod similitudo aliquando capitur pro signo naturali vel artificiali naturaliter repraesentativo rei cuius est signum, cuiusmodi sunt intentiones rerum in anima et figurae animalium aut aliarum rerum sculptae quae sine doctrina significant ipsas res. Nec dicuntur similitudines quia sunt respectus, sed quia sunt signa ex aliqua convenientia absque doctrina vel impositione significantia sua significata. Ideo longe distinguitur a signis grammaticorum, quae non nisi ab impositione significant aliqua distincta ab ipsis vel eorum causis vel accidentibus. Sed alio modo sumitur similitudo pro qualicumque convenientia <f.143v>, sive essentiali sive accidentali. Et talis aliqua est specifica, ut Sortes et Plato sunt similes in humanitate essentialiter et accidentaliter in albedine, alia est generalis, ut homo et asinus sunt similes essentialiter in animalitate et accidentaliter similes in colore, et tertio aliqua est talis analogica, ut motus et ignis sunt essentialiter similes in essendo et accidentaliter similes in causando. Et sic large qualiscumque convenientia vel disconvenientia sive essentialis sive accidentalis potest dici similitudo vel dissimilitudo. Sed proprie tamen sumitur similitudo vel dissimilitudo pro convenientia seu disconvenientia in qualitate -sicut loquitur Aristoteles in proposito.

At vero non decet <conturbari> quia frequenter superius in describendo qualitatem innuitur quod multae qualitates sunt res relativae eo quod includunt respectum in suis descriptionibus, cuiusmodi sunt fere omnes qualitates de prima specie, ut habitus, dispositio, virtus, vitium et huiusmodi. Etiam nomina generalia huiusmodi qualitatum dicunt explicite respectum, ut disciplina dicit respectum ad discipulum et doctrina ad docentem et scientia ad scientem vel ad scibile; ideo aliquis posset exinde perturbari credendo quod idem foret per se in diversis generibus non subalternatim positus - quod est contra prius determinata. Sed respondet Aristoteles dupliciter. Primo quod species huiusmodi qualitatum, ut communiter, non dicunt explicite respectum, ut grammatica, logica et huiusmodi, quamvis secundum nomina generalia ita dicant; et ideo non prohibet quin tales species sint qualitates, cum non sint explicite relativa. Secundo respondet et clarius, dicens quod si contingat aliquid esse qualitatem et cum hoc aliquo modo respectum, non est inconveniens enumerare illud in utrisque generibus.

Notandum tamen pro isto quod numquam stat quod eadem species vel idem individuum sit simul qualitas et relatio, quia sic praedicamenta coinciderent. Tamen, sicut contingit quod idem sit substantia et album, ita contingit quod idem sit qualitas et relativum. Et tale diceretur per se in genere qualitatis et per accidens in genere relationis, sive per reductionem, quia sicut album non est per se in genere qualitatis, sed albedo, ita relativum non est per se in genere relationis, sed relatio.

Et si quaeratur quomodo huiusmodi qualitas est relativa, dicitur, sicut dictum est capitulo de ad aliquid, quod exinde est relativa quia habet seu includit respectum in sua descriptione, ut liberalitas dicit habitum inclinativum ad dandum ut oportet et quando oportet in comparatione ad facultate<m>.

Et si arguitur ulterius quod huiusmodi qualitas non est accidens absolutum, quia est accidens respectivum (nam sequitur: <f.144> hoc accidens est res relativa, ergo est res respectiva; et non est res nisi accidens; ergo est accidens respectivum), huic dicitur a quibusdam quod tale accidens est respectivum, sed non est accidens respectivum, sed accidens absolutum. Et tunc negatur argumentum. Nec sequitur: hoc accidens est res respectiva; et nulla res nisi accidens; ergo est accidens respectivum. Sicut non sequitur: iste homo est res bona; et non est res nisi sophista; ergo est bonus sophista - quia variatio est in modo arguendi, eo quod in uno arguitur in terminis accidentalibus et in alio in terminis substantialibus.

Sed quia videtur quod similitudo adducta non fundat rationem, ideo dicitur aliter quod dupliciter contingit loqui de accidente respectivo. Uno modo ut distinguitur contra accidens absolutum, et sic nulla qualitas est accidens respectivum, sed absolutum. Dicitur enim prius quod accidens absolutum est quod non dependet obiective etc., et accidens respectivum est quod dependet etc. Et patet quod liberalitas, quamvis dicat comparationem ad facultatem, non tamen dependet obiective ab ipsis faculta-

tibus, cum stat habitum sic inclinativum esse in homine quantumcumque depauperato. Sed alio modo dicitur accidens respectivum quod includit respectum in sua descriptione. Et isto modo non distinguitur contra absolutum, cum idem accidens isto modo sit absolutum et respectivum; et isto modo qualitas est accidens respectivum, ut dictum est prius.

Expone ergo sic textum: “At vero non decet perturbari ne quis dicat (id est: si quis dicat) nos fecisse propositionem (id est: determinationem) de qualitate interposuisse multa de relativis - non dico de relationibus. Dicebamus enim habitum et dispositionem esse de numero eorum quae sunt ad aliquid - non quod habitus et dispositio sunt relationes, sed quod sunt res relativae. Paene (id est: fere) in omnibus talibus genera (id est: nomina generalia vel qualitates nominibus generalibus significatae) dicuntur ad aliquid. Talibus enim generibus non sunt nomina imposita, nisi quae connotant praeter qualitates respectus ad extrinseca. Et hoc est verum pro maiori parte. Sed nihil eorum quae sunt singularia (id est: qualitates singulariter acceptae vel species specialissimae) dicitur explicite relativum. Sed hoc non est generaliter verum nisi in speciebus vel individuis scientiarum, et forsitan non in illis”. Exemplificat autem Aristoteles: “Nam cum disciplina sit genus, ut sit generaliter intellectum sub hoc nomine ‘disciplina’, connotando respectum ad discipulum, dicitur alterius (id est: dicitur respective sub habitudine genitivi casu), sed grammatica, ut huiusmodi, non dicitur alterius grammatica (id est: non explicite dicitur <f.144v> sub habitudine genitivi casu), nec musica etc. Sed forte haec intellecta (*lectio dubia*) secundum genus (id est: nomen generale) quod connotat respectum dicitur alicuius, ut grammatica dicitur alicuius disciplina et non alicuius grammatica (id est: grammatica non sub ratione qua grammatica, sed sub ratione qua disciplina dicitur respective)”. Ideo concludit solutionem dicens: “Quapropter quae per se singularia sunt non sunt ad aliquid (id est: qualitates quae simpliciter sine connotatione sumuntur non sunt explicite relativa, sed qualitates). Nam et habentes huiusmodi dicuntur absolute quales et non relative, ut communiter dicuntur scientes secundum singulas scientias, et non relative. Ideo haec simpliciter accepta sine connotatione non erunt relationes, sed qualitates”.

Amplius ponit secundam solutionem magis palpabilem: “Si contingat idem esse quale et relativum, non est inconveniens hoc enumerare in utrisque generibus, secundum diversas tamen rationes, et non per se - ut dictum est prius”. Nam quod sit per se in diversis praedicamentis est inconveniens, sed quod idem per reductionem sit in diversis praedicamentis vel in uno per se et in alio per accidens vel per reductionem, non est inconveniens. Et patet solutio etc.

<De actione et passione>

Recipit autem. Hoc est quintum capitulum huius secundae partis principalis, quae dicitur *Praedicamenta*, in quo determinatur breviter de actione et passione quo ad duas earum proprietates. Quarum prima est ista, quod tam facere qua pati (id est: tam actio quam passio) recipit contraria. Secunda proprietas est quod tam actio quam passio possunt suscipere magis et minus. Exemplum primi: calefacere est contrarium ad frigifacere, quae sunt actiones. Item, calefieri est contrarium ad frigifieri, quae sunt passiones. Nec hoc solum est verum in actione et passione naturali, sed etiam in actione et passione spirituali seu voluntaria. Nam delectari contrarium est contristari; et ita de aliis. Exemplum secundi: calefacere magis et minus est (id est: contingit), et etiam contingit calefieri magis et minus. Notandum tamen quod contrarietas non reperitur primo in actione et passione, sed in materia circa quam contingit actio vel passio. Ut quia caliditas contrariatur frigiditati, ideo calefactio contrariatur frigifactioni. Sed de istis plenior patebit distinctio *Super sex principia* etc.

<De reliquis praedicamentis>

De his itaque. Hoc est sextum capitulum, in quo recapitula <f. 145r> quantum ad dicta et dicenda de quattuor generibus residuis. Dicit ergo: “de his itaque, scilicet de actione et passione, tanta dicta sufficiunt pro nunc”, quia plenior de eisdem fit determinatio III *Physicorum*, ubi docetur quomodo actio et passio sunt idem motus et differunt ratione, et quo ad materiam circa quam contingit actio satis determinatur in libro *De generatione et corruptione, Caeli et mundi et Meteororum*. Dictum est etiam de situm esse, id est : de positione, licet breviter, in capitulo de ad aliquid, ubi dictum est quomodo sedere et stare non sunt positiones, sed denominative dictae a positionibus. Dictum est etiam plenius de positione partium mundi II *De caelo*, in principio, et in *De animalibus*, ubi ex anatomia membrorum animalium docentur eorum positiones.

De reliquis autem, scilicet de quando, ubi et de habere, nihil aliud dicitur quam quae prius dicta sunt, eo quod ista manifesta sunt fortassis in aliorum compilationibus qui super his tempore Aristotelis diffusius scripserunt. Dictum est enim quod habere quidem est ut calciatum esse vel armatum esse. Ubi vero est ut esse in loco, et ita de aliis, quae de illis breviter dicta sunt, de istis sit tractatus longior alibi, ut de quando quo ad eius fundamentum, quod est tempus, tractatur IV *Physicorum*, et de ipso in se videtur tangere Philosophus *De causa longitudinis et brevitatis vitae et De iuventute et senectute*, ubi tractatur de causa et modo periodi naturalis quae est quando. De ubi quo ad eius fundamentum tractatur IV *Physicorum*, capitulo de loco. De habitu tractatur in libris *Politicorum*, ubi agitur de possessionibus, dividendis (divi^{dis}) in civitate et de dominiis eorundem et haec sufficiunt pro brevi sententia huius secundae partis etc.